
PHARMACOPOEIAS

Prussia

PHARMACOPŒA

BORUSSICA.

EDITIO SEXTA.



BEROLINI
APUD RUDOLPHUM DECKER.

1846.

Auf Ihren Bericht vom 3. v. M., die Bearbeitung der sechsten Ausgabe der Landes-Pharmakopöe betreffend, bestimme Ich, daſs diese, in dem Verlage des Geheimen Ober-Hofbuchdruckers Decker in Berlin unter dem Titel: »*Pharmacopoea Borussica, Editio sexta*« erschienene Ausgabe der Landes-Pharmakopöe vom 1. April 1847 an den Aerzten, Wundärzten und Apothekern, so wie den Medizinal-Behörden zur Richtschnur dienen soll, und setze zugleich hinsichtlich deren Anwendung für den ganzen Umfang der Monarchie, unter Aufhebung aller entgegenstehenden Vorschriften, Folgendes fest:

1) Nach Mafsgabe der von dem Ministerium der Medizinal-Angelegenheiten aufzustellenden *Series medicaminum* sind die Arzneimittel in den Apotheken grofser und beziehungsweise kleiner Städte jederzeit vorräthig zu halten.

2) Diejenigen chemischen Präparate, für welche in der Landes-Pharmakopöe keine Bereitungsweise vorgeschrieben ist, so wie die in der anliegenden Tabelle **A.** zusammengestellten Präparate können aus chemischen Fabriken und Droguenhandlungen entnommen werden, der Apotheker ist jedoch für deren Güte und Reinheit verantwortlich.

3) Alle übrige chemische und pharmazeutische Präparate sind nach den, in der Landes-Pharmakopöe enthaltenen Vorschriften von den Apothekern selbst zu bereiten, und ist den Letztern nicht gestattet, dieselben, nach einer andern Methode bereitet, zum pharmazeutischen Gebrauch zu dispensiren. Sollten jedoch Apotheker an der eigenen Bereitung gehindert sein, oder

ist die Menge, deren sie bedürfen, zu einer eigenen Anfertigung des Präparats zu gering, so steht ihnen frei, die Präparate aus einer andern inländischen Apotheke zu entnehmen.

4) Die in der anliegenden Tabelle **B.** zusammengestellten Arzneimittel sind in abgeschlossenen Räumen nach den, für die Aufbewahrung der Gifte bestehenden medizinal-polizeilichen Bestimmungen zu verwahren.

5) Die in der Tabelle **C.** aufgeführten Arzneimittel sind zwar nicht im Giftschrank, aber doch in abgeschlossenen Räumen und getrennt von den übrigen Arzneimitteln aufzustellen.

6) Wenn ein Arzt oder Wundarzt von den in der beiliegenden Tabelle **D.** aufgeführten Arzneimitteln zum innerlichen Gebrauch eine gröfsere Dosis verordnet, als daselbst angegeben ist, so hat derselbe einer solchen Dosis das Zeichen ! beizufügen. Hat er dies unterlassen, so ist der Apotheker verpflichtet, das Recept dem Arzt oder Wundarzt zurückzuschicken, worauf derselbe entweder eine

geringere Dosis zu verordnen oder das Zeichen ! beizufügen hat.

7) Zuwiderhandlungen gegen vorstehende Bestimmungen sind, auch wenn dadurch kein Schaden entstanden ist, mit einer polizeilichen Geldstrafe von 5 Rthlr. bis 50 Rthlr., welche im Wiederholungsfalle bis zu dem doppelten Betrage erhöht werden kann, zu ahnden.

Dieser Befehl ist durch die Gesetzsammlung bekannt zu machen und der sechsten Ausgabe der Landes-Pharmakopöe vorzudrucken.

Erdmannsdorf, den 5. October 1846.

Friedrich Wilhelm.

An

den Staats-Minister Eichhorn.

PRAEFATIO.

Cum scientia tam medica quam pharmaceutica novos semper progressus faciat, opus est, ut novae quoque et emendatae Pharmacopoearum, quas vocant, editiones promulgentur. Quam ob rem, cui REX noster POTENTISSIMUS summam rei medicae in his terris curam detulit, Vir Illustrissimus ac Generosissimus Fridericus Eichhorn collegiorum medicinalium in provinciis, nec non Medicorum Physicorum, uti loquendi mos est, aliorumque Medicorum et Pharmacopolarum praestantium consilia de emendanda Pharmacopoeae Borussicae editione sexta requisivit. Quae

postquam acceperat, nobis, sub fine praefationis subscriptis, tradidit, simulque jussit, his adhibitis ejusmodi editionem Ipsi a nobis proponi. Tum primo loco ducibus Viro Illustrissimo de Düesberg ac deinde Viro Illustri de Ladenberg de Generalioribus ad hanc editionem pertinentibus consilia cepimus, postea vero, in duas sectiones divisi, Medici ea medicamenta selegerunt, quae experientia probata essent, rejectis iis, quae aut minus efficacia aut superflua, aut non satis diu continuata experientia commendata putarunt. Medicamentorum quoque compositiones eadem ratione novae recognitioni subjecerunt. Quibus peractis, reliqua a Sectione Historiae naturalis, assumtis Medicis quibusdam, multis institutis experimentis ad finem perducta sunt.

Superest ut rationes, quas in nova hac recensione secuti sumus, paucis exponamus.

Partem primam et secundam Editionis quintae, nec non earum Sectiones in unam digessimus Partem, omnia medicamenta sic dicta simplicia, praeparata et composita, nec non, quae in officinis semper praesto esse debent, aut quae ad usus singulos accersuntur ac parantur, ordine alphabetico continentem. Difficile enim est, sectiones istas et divisiones rite dirimere et sejungere. Cortices quoque, radices, semina etc. junctos proposuimus, nec secundum species plantarum, unde desumti sunt, uti in priore editione distributos, monentibus Pharmacopolis, qui quidem cortices, ligna etc. seorsim asservare soleant. Quae vero semper praesto esse debent medicamenta, in seriebus propriis, quas vocant, pro revisione officinarum conscriptis et impressis, enumeranda sunt, cum in his pro locis et temporibus varietas obtinere possit.

Nomina prioris editionis fere semper retinuimus, synonyma adjecimus, nec non nomina systematica plantarum officinalium, sicuti nunc innotuerunt, cum ordinibus naturalibus, ad quos plantae pertinent. Necessarium visum est viris chemicae scientiae peritis, nova addi nomina, eaque iis proponi, quae, licet olim recepta, tamen falsam elementorum compositionem indicent. Ut Medicus facilius hasce nominum mutationes cognosceret, nomina ista nova cum olim receptis in fine hujus operis composuimus. Sed quocunque nomine Medicus in formula praescripta usus est, sive systematico, sive vulgato, sive inter synonyma admisso, semper Pharmacopola id medicamentum sumere et praebere debebit, quod sub hoc nomine in Pharmacopoea hacce recensitum est.

In descriptionibus medicamentorum s. d. simplicium, ut in priori editione eas tantummodo indi-

cavimus notas, quibus medicamentum, quale in officinis prostat, dignoscatur. Materias, quibus medicamentum inquinatum esse solet, nominavimus, modum vero, quo chemica arte explorentur, iis reliquimus, quos scire oportet. Ea quoque inquinamenta, quae primo obtutu dignoscenda, aut putredine aliaque manifesta corruptione adducta sunt, non notavimus. Probe enim id tenendum est, Pharmacopoeam lege sancitam non esse librum tironibus dicatum, sed artis pharmaceuticae peritis. Idem quoque dicendum est de modis medicamenta componendi et conficiendi, nam iis tantummodo scripta est Pharmacopoea, qui hasce operationes rite perficere callent.

Cum omnia praeparata secundum nostram, nec secundum aliam praescriptionem paranda sint, eas tantum notas addidimus, quas hoc modo parata ostendunt, nec non vitia indicavimus, quae tunc

fortuito occurrere possunt, ea vero neglеximus, quae alia paratione adhibita accidere solent, aut si materias sumseris non genuinas, nec satis puras.

Medicamenta s. d. simplicia, nec non praeparata et composita, quibus modus conficiendi et componendi non appositus est, nec non ea, quae Tab. **A.** indicata sunt, ex officinis chemicis, quas vocant, secundum REGIS POTENTISSIMI placitum in lege huic Pharmacopoeae praeposita emere licet, modo sint genuina, non inquinata, nec corrupta. Si vero medicamenta haecce praeparata et composita inquinata atque corrupta reperiuntur, tunc secundum methodum praescriptam paranda sunt.

Omnia medicamenta methodo a nobis praescripta asservari debent. Quae vero locis a reliquis medicamentis seclusis asservanda sunt, venena vulgo

vocata, Tab. **B.** nominavimus et descriptionibus verbum cautissime adjecimus. Alia quoque locis non quidem seclusis, attamen separatis asservanda Tab. **C.** enumeravimus et descriptionibus verbum caute addidimus. Quae quidem jussu REGIS sancita sunt.

Si Medicus medicamentorum fortiorum majorem pro usu interno dosin praescripserit, quam Tab. **D.** indicatum est, signum (!) addere debet. Quodsi neglexerit, Pharmacopolam Medico formulam remittere oportet, ut vel denuo dosin praescriptam pronuntiet, vel eam mutet. Et haec quoque jussu REGIS sancita sunt.

Catalogum ponderum specificorum adjecimus, pro usu eorum, quorum officium est, medicamenta in officinis, eorumque pondera specifica explorandi. Monendum vero, pondera ista specifica temperatura

media $17\frac{1}{2}^{0}$ thermometri centipartiti (= 14^{0} R.) explorata esse. In genere monemus, ut omnes caloris gradus in hac editione secundum thermometrum centipartitum indicati sint.

Haec fere sunt, quae praemonenda putavimus.

Berolini, mense Majo 1846.

Bärwald. Gurlt. Horn. Kleist. Link.
E. Mitscherlich. C. G. Mitscherlich. Schacht.
Staberoh. de Stosch. Troschel. Wittstock. Wolff.

PONDERA.

Libra medicinalis continet uncias duodecim,
Uncia — — drachmas octo,
Drachma — — scrupulos tres,
Scrupulus — — grana viginti.

Libra medicinalis aequalis est $\frac{3}{4}$ librae communis Borussicae.

Libra communis Borussica ita determinata est, ut pondus ipsius aequale sit $\frac{1}{66}$ ponderis pedis cubici Borussici aquae destillatae calore 15 grad. thermometri Reaumuriani secundum edictum Regium anni 1816.

Libra medicinalis aequalis est 350,78348 grammis Gallicis.

Mensuris nunquam, sed semper ponderibus, liquorum quantitas indicanda est.

Pondus specificum liquorum calore $17\frac{1}{2}$ grad. thermometri centipartiti (= 14 grad. R.) determinatum est.

Acetum aromaticum.

R. **Foliorum Rosmarini,**
» **Salviae,**
» **Menthae piperitae,** singulorum uncias duas,
Caryophyllorum,
Radicis Zedoariae,
» **Angelicae,** singulorum **unciam dimidiam.**

Concisis et contusis infunde

Aceti crudi libras sex.

Macera per dies quatuor in vase clauso, tum exprime et filtra. Serva in vasis bene obturatis.

Sit limpidum et coloris e rubro fusci.

Acetum concentratum.

R. **Natri acetici libras tres,**
Acidi sulphurici crudi libras duas
dilutas cum
Aquae communis libra una.

Fiat destillatio e vase vitreo, donec **unciae triginta tres** elicitae sint.

Destillatum cum **Aqua** destillata diluatur, ut sit pond. spec. = 1,040 et ita, ut uncia una ad drachmas tres kali carbonici puri sicci neutralisandas sufficiat.

In vasis bene obturatis serva.

Sit limpidum, coloris expers, ab empyreumate, acido sulphurico et sulphuroso liberum.

Continet in 100 partibus partes 25 acidi anhydri.

Acetum crudum.

Roher Essig.

Liquor limpidus, coloris expers aut paullum subflavus, acidum aceticum continens nec non alias materias ex aqua et iis, quae ad praeparationem adhibita sunt, oriundas. Paratur in officinis propriis e variis liquoribus vinosis aut e spiritu vini rectificatissimo aqua diluto, fermentatione acida. Sit tantae aciditatis, ut unciae duae sufficiant ad kali carbonici puri sicci drachmam perfecte neutralisandam, et ab acidis alienis et metallis liberum.

Acetum Digitalis.

R. **Foliorum Digitalis** concisorum **unciam unam.**

Infunde

Aceti crudi uncias octo.

Macera per dies sex, exprime, filtra et in vase vitreo bene obturato caute serva.

Sit limpidum, coloris rubentis.

Acetum purum.

Loco Aceti destillati.

R. **Aceti concentrati libram unam,**
Aquae destillatae libras quinque.

Misce.

Sit limpidum et unciae duae ad drachmam unam kali carbonici puri sicci neutralisandam sufficiant.

Acetum Rubi Idaei.

R. **Baccarum recentium Rubi Idaei libram unam,**
Aceti crudi libras duas.

Macera in vase vitreo bene obturato, donec liquor colore laete rubro imbutus fuerit, deinde cola sine pressione, et liquorem filtratum in lagenis repletis beneque clausis, non amplis, serva.

Sit limpidum.

Acetum scilliticum.

R. **Radicis Scillae uncias duas.**

Minutim scissae macerentur per triduum in

Aceti crudi unciis viginti.

Post expressionem lenem filtra et in vase bene clauso serva.

Sit limpidum et flavum.

Acidum aceticum.

Alcohol aceti. Acetum glaciale.

R. **Kali sulphurici crudi** pulverati **uncias tredecim,**
Acidi sulphurici crudi uncias septem cum dimidia.

Mixta evaporent ad siccum, tum igne fortiori fundantur. Huic massae refrigeratae et pulveratae admisce

Natri acetici perfecte exsiccati **uncias duodecim** ex unciis circiter **viginti Natri acetici** blando calore parandas.

Fiat destillatio e balneo arenae leni calore et vas excipiens bene refrigerando, donec circiter **unciae septem** transierint, quas in vase vitreo epistomio vitreo clauso serva.

Sit limpidum, coloris expers, frigore adhibito in crystallos concrescens, ab empyreumate et acido sulphuroso liberum. Pond. spec. = 1,058 usque ad 1,060.

Continet acidi acetici anhydri 84 ad 85 partes in 100 partibus.

Acidum aceticum aromaticum.

R. **Olei Caryophyllorum drachmam unam,**
» **Lavandulae,**
» **Corticis Citri,** singulorum **scrupulos duos,**
» **Bergamottae,**
» **Thymi,** singulorum **scrupulum unum,**
» **Cinnamomi guttas decem.**

Solve in

Acidi acetici uncia una.

Sit liquor limpidus e flavo subfuscus.

Acidum benzoicum.

Flores Benzoës.

R. **Benzoës** grosso modo pulveratae **libram unam.**

Insperge aequabiliter in fundo plano sartaginis ferreae rotundae, cujus diametros octo ad novem pollices, altitudo unum ad duos pollices adaequat. Supra sartaginem chartam bibulam laxioris texturae expande, cujus margines sartagini glutine amylaceo junge. Tum cylindrum aut conum e charta densioris texturae ope glutinis amylacei sine ullo foramine constructum sartagini impone, marginibus inferne sartagini ope funiculi alligatis. Sartaginem tali modo instructam laminae ferreae, cui stratum arenae inspersum fuerit, impone et lenem ignem sub lamina incende, quem aequabiliter per horas quatuor ad sex sustenta. Apparatum refrigeratum inverte, funiculum rescinde et cylindrum chartaceum aufer, in quo acidum benzoicum reperies, quod collectum in vase bene obturato serva.

Sint crystalli albae, subpellucidae, splendoris sericei, odoris grati benzoini.

Acidum hydrochloratum.

Acidum muriaticum. Spiritus Salis acidus.

R. **Natrii chlorati sicci uncias triginta.**

Immitte in cucurbitam vitream satis amplam et affunde

Acidi sulphurici crudi uncias quinquaginta

dilutas cum

Aquae communis unciis novem.

Adaptetur orificio cucurbitae, in balneo arenae collocatae, ope gummi elastici tubus vitreus curvatus, qui in lagenam intermediam, tribus aperturis praeditam, et aquae unciarum viginti capacem, ad fundum usque porrigatur. Haec lagena tubo recto, fundum fere tangente et altera extremitate aperto, instructa sit, et per tertium tubum sed curvatum cum excipulo, aquae unciarum quadraginta capaci, eo modo jungatur, ut tubi orificium in aquam, quam continebit, aliquid immersum sit.

Lagena intermedia contineat

Aquae communis uncias quatuor,

excipulum vero

Aquae destillatae uncias triginta.

Juncturis bene clausis fiat perfecta extricatio gasis, igne sensim fortiori adhibito, excipulum bene refrigerando.

Acidum in lagena intermedia obtentum seponatur, quod quidem non satis purum; in excipulo vero obtentum diluatur **Aqua destillata** usque ad pond. spec. = 1,120.

Servetur in vasis epistomiis vitreis clausis.

Sit limpidum, coloris omnino expers, nec acido sulphurico et sulphuroso, nec ferro et chloro inquinatum, et ponderis specifici supra dicti.

Continet 24,35 partes acidi anhydri in 100 partibus.

Acidum hydrochloratum crudum.

Acidum muriaticum crudum. Spiritus Salis.
Rohe Salzsäure.

Liquor coloris expers aut subflavus, fumans, corrosivus, calefactus plane volatilis, praeter acidum hydro-

chloratum plerumque acidum sulphuricum, interdum chlorum, acidum sulphurosum et ferrum continens. Pondus specificum = 1,180 usque ad 1,190. Paratur in officinis chemicis e natrio chlorato addito acido sulphurico.

Acidum hydrocyanatum.

Acidum hydrocyanicum. Acidum borussicum.

R. **Ferro-Kalii cyanati flavi** in frustula parva diffracti **unciam dimidiam scrupulosque duos,**
Aquae destillatae uncias duas,
Spiritus Vini rectificatissimi uncias quatuor et dimidiam,
Acidi sulphurici rectificati unciam dimidiam scrupulosque duos.

Deinceps, ut supra indicatum est, in lagenam vitream, **unciarum duodecim** aquae capacem, immittantur. Adaptetur orificio ope gummi elastici tubus vitreus, 2 ad 3 lineas amplus, 2 pedes longus, ad angulum circiter 45° curvatus, cujus altera extremitas in excipulum **octo unciarum** aquae capax immittatur et ope vesicae applicetur. Tum lagena vasi imponatur aqua repleto, super lampade spiritu vini accenso posito, et fiat destillatio in aqua ebulliente, excipulum bene refrigerando, quamdiu gutta transit. Transeant **unciae quinque**, si quid ponderis deficit, **Aqua destillata** addita suppleatur.

In vasis **unciae dimidiae** capacibus et bene clausis cautissime serva.

Sit limpidum, coloris expers, odoris peculiaris.

Partes 100 hujus acidi praebent 9,5 ad 10 grana argenti cyanati exacte siccati, quae respondent duobus granis acidi hydrocyanati anhydri.

Acidum nitricum.

Spiritus nitri acidus.

R. **Kali nitrici depurati pulverati libras octo.**

In retortam vitream immissis affunde

Acidi sulphurici crudi libras octo,

ita ut retorta ad dimidiam partem usque repleta sit.

Fiat destillatio, calore primum remissiore, sub finem sensim aucto, donec residuum tranquille fluat. Acido elicito instilla solutionem **Argenti nitrici** quamdiu inde fit turbidum. Seponatur per aliquot dies. Liquorem limpidum decantatum (defusum) et e retorta fere ad siccum destillando rectificatum dilue cum **Aqua destillata**, donec pond. spec. sit = 1,200.

In vasis epistomiis vitreis clausis serva.

Sit limpidum, coloris omnino expers, ab acido hydrochlorato et sulphurico liberum.

Continet 27,6 partes acidi anhydri in 100 partibus.

Acidum nitricum crudum.

Spiritus nitri. Aqua fortis. Rohe Salpetersäure.

Liquor coloris expers aut subflavus, corrosivus, calefactus plane volatilis, paullum fumans, praeter acidum nitricum interdum acidum nitroso-nitricum et hydrochloratum

rarius sulphuricum continens. Pondus specificum = 1,250 usque ad 1,260. Paratur in officinis chemicis e kali aut natro nitrico addito acido sulphurico.

Acidum nitricum fumans.

Spiritus Nitri fumans. Acidum nitroso-nitricum.

R. **Kali nitrici depurati pulverati libras quatuor.**

In retortam vitream immissis affunde

Acidi sulphurici crudi libras duas,

ita ut retorta ad dimidium usque repleta sit.

Retortae junge excipulum et inter retortae collum et excipulum tubum vitreum linearum duarum diametro interpone, quo gas evolutum exire possit. Juncturis clausis ope luti, e semine lini pulverato et aqua parati, fiat destillatio, excipulum bene refrigerando, calore primum remissiore, sub finem maxime aucto, quamdiu acidum destillat.

In vasis epistomiis vitreis munitis caute servetur.

Sit coloris aurantiaci, in aëre fumum rubrum suffocantem exhalans, summe causticum, pond. spec. = 1,520 usque ad 1,525, a chloro quam maxime liberum.

Acidum phosphoricum.

R. **Acidi nitrici uncias viginti quatuor,**
Phosphori uncias duas.

Retortae vitreae tubulatae satis capaci cum excipulo leviter conjunctae immittantur et in balneo arenae leniter

calefiant, donec Phosphorus perfecte solutus sit; quod destillavit in retortam subinde remittendo. Deinde in patinam porcellaniceam effundatur liquor, et evaporet ad remanentes **uncias sex ad septem**, vel donec vapores nitrici nec odore nec ope bacilli vitrei liquore ammoniaci caustici humectati dignoscantur. Tum addantur **Aquae hydrosulphuratae unciae viginti quatuor**, ut arsenium forsan immixtum separetur. Liquor per aliquot dies loco tepido reponatur, filtretur et in balneo arenae evaporet, donec omne gas hydrosulphuratum expulsum fuerit. **Aqua destillata** diluatur usque ad pond. spec. = 1,130 et filtretur.

Sit coloris expers, ab arsenio, acido nitrico et sulphurico plane liberum.

Continet 16 partes acidi anhydri in 100 partibus.

Acidum pyrolignosum crudum.

Acidum pyroxylicum crudum. Acidum ligni empyreumaticum. Rohe Holzsäure.

Liquor subfuscus aut fuscus, odore empyreumatico, acidum aceticum nec non kreosotum aliaque destillationis siccae producta continens. Paratur e lignis variis praesertim durioribus destillatione sicca.

Acidum pyrolignosum rectificatum.

Acidum pyroxylicum rectificatum.

Acidum pyrolignosum crudum retortae vitreae immittatur et leni igne adhibito destillet, donec tres quadrantes eliciti fuerint. In vasis bene clausis serva.

Sit coloris subflavi.

Acidum succinicum.

Acidum succinicum album. Sal Succini album.
Bernsteinsäure.

Crystalli interdum in crustam cohaerentes, albae, aëri expositae non mutabiles, sapore acido, odorem olei succini non nisi debilem spirantes, igne plane avolantes, in aquae partibus quinque, nec non in spiritu vini solubiles. Servetur in vasis bene clausis.

Paratur in officinis chemicis e succino. Cave ab impuro.

Acidum sulphuricum crudum.

Oleum Vitrioli. Rohe Schwefelsäure. Vitriolöl.

Liquor coloris expers, maxime corrosivus, olei spissitudine, ex acido sulphurico et aqua constans, interdum plumbum ferrumque, nec non acidum nitricum, aliaque heterogenea continens. Rejiciatur acidum, quod arsenio inquinatum est. Pond. spec. = 1,840 usque ad 1,845. Caute serva. Paratur in officinis chemicis.

Acidum sulphuricum dilutum.

Spiritus Vitrioli.

R. **Acidi sulphurici rectificati libram unam.**

Instillando misce cum

Aquae destillatae libris quinque.

Sit limpidum, coloris expers.

Acidum sulphuricum rectificatum seu depuratum.

Acidum seu Oleum Vitrioli rectificatum seu depuratum.

Acidum sulphuricum crudum e retorta vitrea arenae balneo immissa rectifica, rejecta sedecima parte primo prodeunte. Acidum obtentum in vasis epistomiis vitreis munitis caute serva.

Sit coloris expers, maxime corrosivus, a plumbo sulphurico, arsenio, nec non ab acido nitrico liberum. Pond. specif. = 1,845.

Continet 81 partes acidi anhydri in 100 partibus.

Acidum tannicum.

Acidum scytodephicum. Tanninum.

R. **Gallarum** in pulverem crassum redactarum quantum vis.

Immitte in infundibulum separatorium vitreum tubo longo instructum, ad basin ope epistomii suberini clauso et floccis gossypinis repleto. Tum infunde

Aetheris cum **parte decima Aquae destillatae** mixti tantum,

ut gallae obtegantur, et infundibulum epistomio claude.

Sepone per 24 horas loco frigido. Postea epistomium suberinum inferius remove, superius paullum aperi, ut liquidum effluere possit, quod in vase vitreo apto excipias. Repetatur operatio novo addito aethere diluto. Liquores

obtenti misceantur et seponantur. Stratum superius limpidum separetur, inferius spissiusculum in patinam effundatur et loco tepido reponatur, ut liquidum evaporet. Massam remanentem in pulverem tritam in vase bene clauso serva.

Sit pulvis coloris flavi, saporis peradstringentis, cum aqua solutionem fere limpidam praebens.

Acidum tartaricum.

Sal essentiale Tartari. Weinsteinsäure.

Crystalli in crustam cohaerentes, decolores, aëri expositae non mutabiles, in aquae parte una cum dimidia solubiles. Sit ab acido sulphurico, kali bisulphurico, calcaria et metallis liberum. Paratur in officinis chemicis e tartaro depurato crystallisato.

Adeps suillus.

Schweineschmalz.

Non nisi bene elotus adhibeatur.

Aerugo.

Viride aeris. Grünspan.

Massa compacta difficulter rumpenda, fractura terreolamellosa, crystallis minutis mixta, friabilis, e viridi magis minusve subcoerulea, in aqua partim solubilis, e cupro acetico et cupro hydrico constans. Paratur in officinis chemicis e cupro, vinaceis fermentantibus aut va-

poribus aceti corroso. Corporibus heterogeneis in acido sulphurico non solvendis ne nimis sit inquinata.

Caute servetur.

Aether.

Aether sulphuricus. Naphtha Vitrioli.

R. **Spiritus Vini rectificatissimi libras quinque.**

Sollicite misceantur cum

Acidi sulphurici crudi libris novem.

Mixturam frigefactam in retortam tubulatam ad duas partes (e tribus) replendam et in balneo arenae collocatam infunde. Per epistomium suberinum ad tubulum retortae claudendum transmittatur tubus vitreus duarum triumve linearum diametro, angulo recto in duo crura inaequalia curvatus. Crus longius, strophinge instructum, cum vase **Spiritum Vini rectificatissimum** continente conjungatur, brevius vero ad lineae amplitudinem attenuatum mixturae in retorta contentae paullum immergatur. Retortae junge excipulum aqua frigida aut nive refrigerandum, et fiat destillatio igne primum moderato deinde fortiori, ita ut mixtura continuo ebulliat, spiritus vini tanta copia sensim affluente, quanta mixtura in retorta diminuitur. Destillatio continuetur, donec quantitas totius spiritus vini consumti sit quintupla acidi sulphurici adhibiti. Retortae loco cucurbita adhiberi potest epistomio suberino bis perforato clausa et duobus tubis vitreis instructa.

Destillati **libras sex** misce cum **libris duabus Aquae communis**, cui parva copia **Calcariae hydricae** indita est;

mixta concute, et decantatione (defusione) et separatione aetheris evitandis e retorta satis ampla igne moderatissimo rectifica, donec **librae duae** destillaverint aut quamdiu destillatum est pond. spec. = 0,725. Quod postea destillatione continuata obtinetur cum **Aqua communi** misce et iterum ut antea rectifica.

Aether servetur loco frigido in vitris non amplis, optime clausis.

Sit limpidus, valde volatilis, coloris expers, odoris fragrantis, flamma subflava fuliginem exhalante deflagrans, in aquae destillatae minore quantitate quam decem partibus non solvendus, ab acido et oleo vini liber et ponderis specifici supra dicti.

Aether aceticus.

Naphtha Aceti.

R. **Natri acetici uncias viginti,**

aut quantum satis, ut post perfectam exsiccationem remaneant **unciae duodecim.**

In retortam vitream perforatam aut in cucurbitam immissis affunde

Acidi sulphurici crudi uncias quatuordecim

antea sollicite cum

Spiritus Vini alcoholisati unciis tredecim

mixtas.

Fiat destillatio leni igne, vas excipiens bene refrigerando, donec circiter **unciae duodecim** elicitae fuerint. Destillato adde **Liquoris Kali acetici** quantum requiritur ad promovendam aetheris separationem, quem separatum

blando calore super **Magnesiae ustae drachma una** rectifica et in vasis optime clausis serva.

Sit limpidus, coloris expers, ab omni acido liber, kali carbonicum ne humectet neve in aquae destillatae minore quantitate quam in septem partibus solvatur. Pond. spec. = 0,885 usque ad 0,890.

Aloë.

Aloë lucida. Aloë.

Aloës variae species. Liliaceae-Aloineae.

Massa in frustis variae magnitudinis irregularibus, angularibus, ad margines subdiaphanis, fractura nitens, coloris e subviridi et rubicundo fusci, trita flava, saporis peramari, frigore friabilis, calore mollis. In aqua, relictis heterogeneis immixtis, solvitur solutione turbida, in spiritu vini solutione limpida. Est succus induratus foliorum specierum variarum Aloës, in Africa australi indigenarum, e. g. Al. socotorinae, purpurascentis, spicatae etc., nam de speciebus non rite constat.

Alumen.

Sulphas aluminico-kalicus cum aqua. Alaun.

Sal in frustis crystallinis albis, subdiaphanis, sapore e subdulci austero, in aquae frigidae partibus sedecim ad viginti, in aquae fervidae copia aequali solubilis, in aëre paullum fatiscens. Constat ex alumina sulphurica, kali sulphurico et aqua. Rejiciatur alumen, quod kali loco ammoniacum continet. Paratur e mineris aluminis in officinis propriis. Ferro ne nimis sit inquinatum.

Alumen ustum.

Sulphas aluminico-kalicus.

Alumen uratur in olla fictili, non vitreata, satis capaci, donec fere totum in massam levem spongiosam abierit, quae a massa compacta separata loco sicco servetur. Sit album et maxima ex parte in aqua solubile.

Ammoniacum seu Gummi Ammoniacum.

Ammoniak-Gummi.

Dorema ammoniacum s. armeniacum D. Don. Umbelliferae.

Gummi-resina in glebis granisve opacis, extus e flavo fuscis, intus albis, splendore pingui, frigore duriusculis fragilibus, calore mollescentibus, saepe inter se conglutinatis, saporis amaro-nauseosi subacris. Est succus induratus plantae in Persia crescentis.

Ammoniacum seu Gummi Ammoniacum depuratum.

Ammoniacum electum tempestate gelida terendo redigatur in pulverem, ab adhaerentibus quisquiliis ope cribri setacei secernendum. Loco non nimis calido charta involutum serva.

Ammoniacum carbonicum.

Ammonium carbonicum. Alkali volatile. Carbonas ammonicus. Flüchtiges Laugensalz.

Sal in massis albis, superficie mox pulverulentis, in aëre tandem plane fatiscentibus, fauces naresque inter respirandum valde irritans, saporis alcalini acris, in igne plane avolans, in aquae duabus partibus solubilis. Constat ex ammoniaco et acido carbonico. Sit liberum a metallis et salibus alienis. Paratur in officinis chemicis.

Servetur in vasis optime clausis.

Ammoniacum carbonicum pyro-oleosum.

Ammonium carbonicum pyro-oleosum. Sal volatile Cornu Cervi.

R. **Ammoniaci carbonici** triti **uncias octo.**

Sensim instilla

Olei animalis aetherei drachmas duas.

Misce exacte terendo. Sit pulvis demum flavus, in vitro bene clauso servandus.

Ammoniacum cuprico-sulphuricum.

Cuprum sulphurico-ammoniatum. Cuprum ammoniacale. Sulphas cupricus ammoniacalis.

R. **Cupri sulphurici puri** triti **unciam unam.**

Immitte in vitrum et adde

Liquoris Ammoniaci caustici uncias tres.

Vase clauso conquassentur, donec cuprum sulphuricum disparuerit.

Liquori per chartam bibulam filtrato affunde

Spiritus Vini rectificatissimi uncias sex

et agita.

Praecipitatum crystallinum inde natum, filtro separatum, inter chartam bibulam sine calore sicca et in vase bene claudendo caute serva.

Sit pulvis crystallinus, coloris coerulei saturati, in aëre facile fatiscens et cum aquae destillatae parte una et dimidia solutionem limpidam praebeat.

Ammoniacum hydrochloratum crudum.

Ammonium muriaticum crudum. Sal ammoniacum crudum. Hydrochloras ammonicus crudus. Chloretum Ammonii crudum. Roher Salmiak.

Sal in placentis supra convexis, subtus concavis, interdum conicis, albis, sapore acri, in aquae frigidae partibus tribus, fervidae partibus aequalibus solubilis, igne avolans. Constat ex ammoniaco et acido hydrochlorato. Paratur in officinis chemicis ex partibus constitutivis vario modo junctis. Non nisi sublimatus adhibeatur.

Sit ab acido sulphurico et inquinamentis metallicis plane liber.

Ammoniacum hydrochloratum depuratum.

Ammonium muriaticum depuratum. Sal ammoniacum depuratum. Hydrochloras ammonicus depuratus. Chloretum Ammonii depuratum.

Ammoniacum hydrochloratum crudum solvatur in Aquae fervidae parte una cum dimidia. Solutum adhuc calidum statim filtretur et ad crystallisationem seponatur. Liquor remanens in vase porcellanico supra modicum ignem evaporet, quamdiu crystalli albae oriuntur. Crystalli bene siccatae serventur.

Sit albissimum, ab inquinamentis metallicis plane liberum.

Ammoniacum hydrochloratum ferratum.

Ammonium muriaticum ferruginosum seu martiatum. Flores Salis ammoniaci martiales. Hydrochloras ammonicus cum Sesquichloreto Ferri.

R. Ammoniaci hydrochlorati depurati uncias sex.
Solve in
Aquae destillatae unciis duodecim,
adde
Liquoris Ferri sesquichlorati unciam unam.

In vase porcellanico in balneo vaporis temperaturam 60 ad 70° C. non excedente inter assiduam agitationem ad siccum et in pulverem redige.

Servetur in vase bene clauso loco obscuro.

Sit pulvis aurantiacus, saporis austeri pungentis, in aqua plane solubilis, ad aërem humescens.

Continet 2,5 partes ferri, aut 7,4 ferri sesquichlorati in 100 partibus.

Amygdalae amarae.

Bittere Mandeln.

Amygdalus communis L. Varietas amara.
Rosaceae - Amygdaleae.

Semina oblonga, compressa, testa membranacea e fusco flavescente, intus alba, sapore amaro. Rejiciantur vetusta maculis flavis intus conspersa. Colitur arbor in Europa calidiore.

Amygdalae dulces.

Süfse Mandeln.

Amygdalus communis L. Rosaceae-Amygdaleae.

Semina oblonga, compressa, amaris similia, his saepe majora, interdum tamen minora, sapore haud amaro. Rejiciantur vetusta, saporis rancidi et maculis flavis intus foeda. Colitur arbor in Europa calidiore.

Amylum.

Kraftmehl. Stärke.

Aqua Amygdalarum amararum.

R. **Amygdalarum amararum libras duas.**

Contundantur et expressione, calorem evitando, ab oleo pingui liberentur. Placenta in pulverem redacta cum

Aquae fluviatilis aut pluvialis libris decem teratur. Mixturam,

Spiritus Vini rectificatissimi unciis quatuor

affusis, in vesicam destillatoriam immitte ita constructam, ut aquae vapores ex alio vase emissi transeant. Fiat destillatio per hosce vapores, donec **librae duae** destillaverint.

Caute servetur in vasis parvis bene obturatis.

Sit limpida aut interdum paullum turbida et duae unciae praebeant 6,66 usque ad 7 grana argenti cyanati probe siccati, quod in singula uncia Aquae Amygdalarum amararum $\frac{2}{3}$ grani acidi hydrocyanati anhydri indicat.

Aqua Asae foetidae composita.

R. **Asae foetidae,**
Radicis Angelicae,
» **Calami,** singularum **drachmas tres.**

Concisis et in retortam immissis affunde

Aquae communis quantitatem sufficientem,
Spiritus Vini rectificatissimi drachmas tres.

Destillent **unciae sex.**

Serva in vasis bene obturatis.

Sit turbida.

Aqua Calcariae.

Aqua Calcis.

R. **Calcariae recenter paratae libram unam.**

Sensim affunde

Aquae communis libras triginta.

Ebullitione finita subinde agitetur, et postquam calcaria non soluta subsiderit, aqua supernatans decantetur (defundatur) et in lagenis bene obturatis servetur.

Sit limpida, sine sedimento, saporis alcalini.

Aqua Cascarillae.

R. **Corticis Cascarillae contusi libram unam,**
Aquae communis quantum sufficit.

Destillent **librae decem.**

Sit limpida.

Aqua Cerasorum amygdalata.

R. **Cerasorum acidorum** exsiccatorum una cum nucleis contusorum,
Amygdalarum amararum contusarum, singulorum **libram unam,**
Aquae communis quantum satis.

Destillent **librae vigiuti quatuor.**

Sit paullum turbida, demum limpida.

Aqua Chamomillae.

R. **Florum Chamomillae vulgaris libras duas,**
Aquae communis quantum sufficit.

Destillent **librae viginti.**
Sit limpida.

Aqua Cinnamomi simplex.

R. **Cassiae cinnamomeae** contusae **libram unam,**
Aquae communis quantum sufficit.

Destillent **librae decem.**
Sit turbida, demum limpida.

Aqua Cinnamomi spirituosa.

Aqua Cinnamomi vinosa.

R. **Cassiae cinnamomeae** contusae **libram unam,**
Spiritus Vini rectificati libras duas,
Aquae communis quantum satis.

Destillent inde **librae novem,** quas bene serva.
Sit turbida, demum limpida.

Aqua communis.

Wasser.

Sumatur aqua aut fontana aut fluviatilis aut pluvialis, et ea, quae purissima in promtu est.

Aqua destillata.

R. Aquae communis partes tres.

Destillent partes duae, rejecta portiuncula primum prodeunte.

Sit limpida, odoris et saporis expers.

Aqua Florum Aurantii.

Aqua Florum Naphae.

R. Florum Aurantii recentium libras sex, aut
Natrio chlorato conditorum libras novem,
Aquae communis quantum satis. Si flores Aurantii conditos adhibere vis, adde Kali carbonici crudi uncias tres.

Destillent inde librae decem. Ad usum medicum diluatur cum partibus duabus Aquae destillatae.

Sit limpida, odoris fragrantis.

Aqua Foeniculi.

R. Seminis Foeniculi contusi libram unam,
Aquae communis quantum satis.

Destillent librae triginta.

Sit limpida.

Aqua foetida antihysterica.

Loco Aquae foetidae Pragensis.

R. **Galbani unciam unam,**
Asae foetidae unciam unam et dimidiam,
Myrrhae drachmas sex,
Radicis Valerianae minoris,
» **Zedoariae**, singularum uncias duas,
» **Angelicae** unciam dimidiam,
Foliorum Menthae piperitae unciam unam et dimidiam,
Herbae Serpylli,
Florum Chamomillae Romanae,
Castorei Canadensis, singulorum unciam unam.

Concisis, contusis et in retortam immissis affunde
Spiritus Vini rectificatissimi libram unam et dimidiam.

Stent per viginti quatuor horas. Tum adde
Aquae communis quantum satis
et destillent librae tres.

Sit turbida, odoris gravis, ab oleo aethereo supernatante liberata.

Aqua Goulardi.

Aqua vegeto-mineralis Goulardi.

R. **Aquae communis** libras duas,
Liquoris Plumbi hydrico-acetici unciam dimidiam,
Spiritus Vini rectificati uncias duas.

Misce et ante dispensationem agita.

Caute serva. Sit alba, turbida.

Aqua Kreosoti.

R. **Kreosoti drachmam unam cum dimidia.**
Solve agitando in
Aquae destillatae unciis viginti quinque.
Serva in vasis bene obturatis.
Sit paullum turbida.

Aqua Magnesiae carbonicae.

R. **Magnesiae sulphuricae depuratae drachmas quinque.**
Solve in
Aquae destillatae unciis sex,
adde solutioni frigidae
Natri carbonici depurati, in **Aquae destillatae partibus tribus soluti, unciam dimidiam**, aut quantum sufficit ad praecipitationem.

Praecipitatum bene edulcoratum et adhuc humidum cum
Aquae destillatae unciis decem
mixtum in lagenam immitte **triginta librarum** aquae capacem, **Gase acidi carbonici** repletam, quae statim obturata bene agitetur. Liquor celeriter filtratus in laguneulis bene obturatis servetur.
Sit limpida et coloris expers.

Aqua Menthae piperitae.

R. **Foliorum Menthae piperitae libras duas,**
Aquae communis quantum sufficit.
Destillent **librae quatuordecim.**
Sit limpida.

Aqua Menthae piperitae spirituosa.

Aqua Menthae piperitae vinosa.

R. **Foliorum Menthae piperitae libram unam,**
Spiritus Vini rectificati libram unam cum dimidia,
Aquae communis quantum satis.

Destillent **librae sex** aquae turbidae, quam bene serva.

Aqua Opii.

R. **Opii** in lamellas dissecti et leni calore siccati **unciam unam.**

Immitte in retortam vitream et affunde

Aquae communis uncias duodecim.

Destillent **unciae sex.**

Serva caute in vasis bene obturatis.

Sit limpida, coloris expers, odoris debilis.

Aqua phagedaenica.

R. **Hydrargyri** bichlorati **corrosivi** triti **grana viginti quatuor.**

Adde

Aquae Calcariae uncias sedecim.

Liquorem agitatum una cum praecipitato flavo dispensa. Caute serva.

Aqua Plumbi.

Aqua plumbica. Aqua saturnina.

R. **Aquae destillatae libras duas,**
Liquoris Plumbi hydrico-acetici unciam dimidiam.

Misce et ante dispensationem agita.
Caute serva. Sit alba et paullum turbida.

Aqua Rosarum.

R. **Florum Rosarum incarnatarum** recentium **libras quatuor,** aut **Natrio chlorato** conditorum **libras sex,**
Aquae communis quantum satis.

Destillent **librae viginti.**
Sit limpida.

Nota. Omnes aquae destillatae serventur loco frigido. Rejiciantur mucilaginosae et coloris non expertes.

Argentum.

Silber.

Sit a bismutho et plumbo liberum.

Argentum foliatum.

Blattsilber.

Argentum in lamellas tenuissimas redactum.
Sit a bismutho, cupro et plumbo plane liberum.

Argentum nitricum fusum.

Lapis infernalis. Nitras argenticus fusus.

R. Argenti uncias tres.
Solve in
Acidi nitrici unciis septem.

Liquor filtratus leni calore ad siccum evaporet, residuum in vase porcellanico liquetur, donec nigrescat et portiuncula exemta solutionem praebeat coloris plane expertem. Tum massa refrigerata in Aquae destillatae quantitate sufficiente solvatur, et liquor filtratus ad siccum evaporet. Massam obtentam in vase porcellanico leni calore liqua et fluidum effunde in modulum politum tepefactum nec sebo nec oleo illitum. Bacillos e modulo refrigerato exemtos in vase clauso denigrato caute serva.

Sit siccum, fractura radiosa, radiis ex axe exeuntibus, splendens, colore albo aut griseo, a cupro liberum.

Arsenicum album.

Acidum arsenicosum. Weifser Arsenik.

Massa compacta, ponderosa, alba, recens pellucida, demum opaca, in aqua difficile solubilis, super prunis instar fumi avolans, nidorem alliaceum spargens, e metallo proprio et oxygenio constans. Paratur in officinis metallicis e mineris arsenici. Perniciosissimum venenum, idque cautissime servandum.

Asa foetida.

Stinkender Asand.

Ferula Asa foetida L. et forsan aliae Ferulae species. Umbelliferae.

Gummi-resina in glebis granisve plerumque inter se conglutinatis, interdum diaphanis, extus e roseo-fuscis, intus albidis, demum purpurascentibus, splendore pingui, sub digitis lentescens, saporis ex acri amaricantis, nidoris alliacei. Est succus induratus e radice sauciata plantae supra indicatae (secundum Kaempferum) in Persia crescentis effluens.

Asa foetida depurata.

Ex **Asa foetida** paretur et servetur uti Ammoniacum depuratum.

Auro-Natrium chloratum.

Aurum muriaticum. Aurum muriaticum natronatum. Chloretum Auri cum Chloreto Natrii.

R. **Auri drachmam unam.**

Affunde

Acidi hydrochlorati drachmas tres,

Acidi nitrici drachmam unam.

Calefiant donec metallum plane evanuerit.

Liquidum leni calore in vase porcellanico ad syrupi spissioris densitatem evaporet; quo facto refrigeratum in massam salinam concrescit, cui in **Aquae destillatae uncia una** solutae, post filtrationem, adde solutionem filtratam ex

Natrii chlorati granis centum

et

Aquae destillatae uncia una

paratam.

Liquor leni calore ad siccum evaporet et massa residua bene trita, vitro bene claudendo immissa, caute servetur.

Sit pulvis flavus, in aëre humescens, et in aqua plane solubilis.

Aurum.

Gold.

Ad usum pharmaceuticum **Aurum ducatorum Batavorum** satis purum adhibeatur.

Aurum foliatum.

Blattgold.

Aurum in lamellas tenuissimas redactum, a cupro liberum sit.

Baccae Juniperi.

Wachholderbeeren.

Juniperus communis L. Coniferae.

Fructus spurii baccati maturi, nigri, globosi, ad apicem prominentiis tribus (residuis bractearum) notati, pulpa exsucca nuces circiter tres includente referti, saporis subdulcis, odoris aromatici. Arbor aut frutex frequens in Europa boreali.

Baccae Rubi Idaei.

Himbeeren.

Rubus Idaeus L. Rosaceae-Dryadeae.

Baccae Sambuci.

Fliederbeeren.

Sambucus nigra L. Sambucinae.

Baccae Spinae cervinae.

Kreuzdornbeeren.

Rhamnus catharticus L. Rhamneae.

Baccae recentes maturae, globosae, magnitudinem pisi adaequantes, nigrae, intus rubrae, splendentes, semina 2 ad 4 ovalia subtriangularia continentes, saporis amaro-acris. Frutex in Germania frequens, colligendae baccae mense Octobri.

Balsamum Copaivae.

Copaivabalsam.

Copaiferae variae species. Leguminosae-Papilionaceae.

Balsamum naturale pellucidum, colore flavo aut e subfusco flavo, oleì pinguis tenuioris spissiorisve consistentia, odore proprio fragrante, sapore amaricante subacri, in aqua coctum resinam friabilem praebens. Sit

genuinum, nec terebinthina, nec oleo pingui adulteratum. Advehitur ex America meridionali praesertim e Brasilia interiore et calidiore.

Balsamum Nucistae.

R. Cerae flavae unciam dimidiam,
Olei Olivarum Provincialis unciam unam,
Olei Nucistae uncias tres.

Liquefiant, in cistulas papyraceas effundantur et refrigerata et dissecta serventur.

Sit coloris aurantiaci, odoris aromatici.

Balsamum Peruvianum.

Balsamum Indicum nigrum. Schwarzer Peruvianischer Balsam.

Myrospermum peruiferum Dec. et M. punctatum Klotzsch. Leguminosae-Papilionaceae.

Liquor spissiusculus e nigro fuscus, in massa opacus, in guttis diaphanus, tactu digitos inquinans, vix tenax, aëri expositus non siccescens, saporis acris aromatici, odoris suavis benzoini. In spiritus vini rectificatissimi partibus quinque fere solubilis, solutione primum turbida, tum calore adhibito limpida, sedimento pauco. Cave ne cum oleo quodam pingui nec aethereo, nec balsamo copaivae, adulteratum sit. Num ex arboribus supra dictis et quidem ustione ligni paretur, non satis constat; ex America meridionali ad nos adfertur.

Baryta sulphurica nativa.

Spathum ponderosum. Terra ponderosa. Sulphas baryticus nativus. Schwerspath.

Baryum chloratum.

Baryta muriatica. Terra ponderosa salita. Chlorum Baryi cum Aqua.

R. **Barytae sulphuricae nativae** laevigatae **libras duas,**
Carbonum vegetabilium subtilissime pulveratorum
libram dimidiam,
Olei Lini uncias tres.

Intime mixta in crucibulum plane replendum ingere, quod operculo tegatur. Igne primum remissiore, demum fortiore per horas tres urantur. Crucibulo refrigerato redigatur massa exemta in pulverem subtilem et, **uncia una** ejus retenta, cum

Aquae communis libris octo

misceatur. Mixturae calefactae sensim addantur

Acidi hydrochlorati unciae viginti,

aut tantum ut acidum, evolutione gasis peracta, paullum praevaleat. Filtra, residuum sedulo elue et liquori ad libras tres evaporato adde solutionis filtratae ex **uncia Baryi sulphurati** primum retenta et **Aquae unciis sex** paratae quantum sufficit, ut metalla immixta perfecte separentur.

Liquor filtratus ad siccum evaporet. Massam remanentem in **Aquae destillatae partibus tribus** solve et tantum **Acidi hydrochlorati** adde, ut hocce paullum prae-

valeat. Liquor iterum filtratus in crystallos redigatur, quae collectae, elotae et bene siccatae serventur.

Sint albae, diaphanae, in aëre non humescentes, in aquae frigidae partibus duabus et dimidia, in calidae parte una cum dimidia, in spiritu vini rectificatissimo difficillime solubiles, a strontiana et metallis liberae.

Benzoë.

Asa dulcis. Benzoëharz.

Styrax Benzoin Dryand. Styraceae.

Resina e frustulis albis splendore pingui massae e rufo fuscae friabili immersis, aut ex ejusmodi glebis granisve crustis e rubro flavis splendentibus conglutinatis, odoris pergrati proprii, in spiritu vini rectificatissimo, relictis heterogeneis, facile solubilis. Optima, quae e maxima copia glebarum albarum composita invenitur. Est succus, e cortice effluens, induratus arboris in India orientali ulteriore, praesertim in insulis Sumatra et Borneo crescentis.

Bismuthum.

Marcasita. Wismuth.

Bismuthum hydrico-nitricum.

Bismuthum nitricum praecipitatum. Magisterium Bismuthi. Subnitras bismuthicus.

R. **Bismuthi pulverati uncias sedecim,**
Natri carbonici depurati uncias duas,
Sulphuris depurati drachmas duas.

Mixta in crucibulo tecto per horam liquentur, tum crucibulo refrigerato et diffracto bismuthum eximatur et a scoriis sedulo purgetur.

Bismuthi hoc modo depurati et grosso modo pulverati **uncias duas**

ingere sensim in cucurbitam

Acidi nitrici uncias sex

continentem et postea adde adhuc tantum **Acidi**, ut bismuthum, adjuvante calore, plane solvatur. Solutionem **Aquae destillatae parte dimidia** dilutam per vitrum grosso modo contusum filtra et in crystallos redige. Harum

Crystallorum sedulo contritarum **unciae quatuor**

terendo misceantur cum

Aquae destillatae unciis sedecim,

mixturam in vas

Aquae destillatae fervidae libras septem

continens effunde et bene agita. Praecipitatum inde natum statim filtro separa, ne nimis edulcora et calorem evitando sicca. In vasis bene clausis serva.

Sit albissimum, splendens, aut pulverem aut squamas minimas sistens, nec arsenio, nec acido sulphurico inquinatum.

Boletus igniarius.

Feuerschwamm.

Polyporus fomentarius Fries. Fungi.

Cave ne kali nitrico impraegnatus sit.

Boletus Laricis.

Agaricum. Lärchenschwamm.

Boletus Laricis Jacq. Polyporus officinalis Fries. Fungi.

Frusta fungi pileo laterali carnoso-suberoso, concentrice sulcato, e subluteo albo, intus albo, friabili, tubulis pileo contiguis brevibus tenuibus, subluteis, sapore subdulci, amaricante, acri. In truncis senescentibus Pini Laricis L. Germaniae australis et Helvetiae invenitur, unde siccatus et decorticatus ad nos advehitur.

Bolus alba.

Weiſser Bolus.

Terra cohaerens friabilis, albida, inquinans, humectata subtenax, in aqua dilabens, maxima ex parte ex argilla constans. Variis in locis effoditur.

Bolus Armena.

Armenischer Bolus.

Terra cohaerens friabilis, tactu pinguis, e luteo rubra, ex argilla et ferro oxydato constans. Variis in locis et in Germania effoditur.

Borax.

Natrum boracicum cum aqua. Boras natricus cum aqua. Borax.

Sal in frustis crystallinis albis, duris, in aëre paullulum fatiscentibus, sapore subdulci lixivioso, in aquae

frigidae duodecim et fervidae duabus partibus solubilis, leniore igne tumescens, fortiore vitrescens. Constat e natro, acido boracico et aqua. Paratur tam e borace nativo, Tincal dicto, in Regno Tibetano reperiundo, quam ex acido boracico et natro carbonico.

Calcaria.

Calcaria usta. Calx viva. Oxydum calcicum. Gebrannter Kalk.

Calcaria hypochlorosa.

Calcaria chlorata. Chloretum Calcariae. Chlorum Calcariae. Subchloris calcicus. Chlorkalk.

Pulvis grumosus, sordide albus, odorem chlori similem spargens, in aqua non plane solubilis, in aëre humescens. Cave, ne minorem quantitatem chlori, quam partes 20 p. C. praebeat. Constat e calcaria hypochlorosa, calcio chlorato et calcaria hydrica. In officinis chemicis paratur. In vasis bene clausis a luce remotis servetur et solutio, si requiritur, non nisi filtrata dispensetur.

Camphora.

Kampher.

Camphora officinarum Nees ab E. Laurus Camphora L. Laurineae.

Massa in placentis orbiculatis, supra convexis, subtus concavis, alba, nitida, pellucida, levis, pinguiuscula,

odoris proprii, gravissimi, saporis acris aromatici, in aëre plane avolans, accensa flamma fuliginosa sine residuo deflagrans, in aqua parum, sed in spiritu vini rectificatissimo et oleis plane solubilis. Paratur e ramis et foliis sublimatione aut destillatione in Japonia et China, et in Europa sublimatione purgatur.

Cantharides.

Spanische Fliegen.

Lytta vesicatoria Fabr. Meloë vesicatorius L. Insecta Coleoptera.

Insecta tota, exceptis antennis filiformibus nigris, ex aureo viridia, splendentia, odoris ingrati, saporis initio mitis, tandem acerrimi. Mensibus Junio et Julio, dum Fraxinos, Syringas et Ligustra gregatim apud nos depascunt, colligi possunt. Caute servandae.

Capita Papaveris.

Mohnköpfe.

Papaver somniferum L. Papaveraceae.

Capsulae immaturae, nucis Juglandis magnitudinem adaequantes, cum seminibus siccatae. Planta apud nos colitur.

Caragaheen.

Lichen Caragaheen. Fucus s. Muscus Caragaheen. Irländisches Perlmoos.

Fucus crispus L. Chondrus crispus Stackhouse. Algae.

Frons (thallus) plana, marginibus saepe undulatis, dichotoma, cartilaginea, sicca cornea, laciniis variae latitudinis, recens rubra aut subviridis, sicca sordide alba. Ad littora maris Atlantici praesertim frequens.

Carbo praeparatus.

Carbo purus.

Carbones vegetabiles grosso modo pulveratos et Aquae sufficiente copia excoctos ure in crucibulo clauso, cujus operculum foramine parvo instructum sit, donec fumus exire desinat. Carbones remanentes in pulverem subtilissimum redigantur, quem in vase bene clauso serva.

Sit colore nigerrimo, paullum nitens.

Carbo vegetabilis.

Holzkohle.

Cardamomum minus.

Kleine Kardamomen.

Elettaria Cardamomum White et Matoni. Scitamineae - Amomeae.

Semina parva, nigricantia, subtriangularia, rugosa, sapore intense aromatico, odore fragrante camphoraceo,

in capsula membranacea, triquetra, utrinque attenuata, 4 ad 6 lineas longa, straminei coloris, triloculari. Colliguntur in Malabaria, unde ad nos adferuntur.

Caricae.

Feigen.

Ficus Carica L. Sycoideae.

Caryophylli.

Gewürznelken.

Caryophyllus aromaticus L. Myrtaceae.

Germina cum calyce quadridentato e fusco nigricantia, saporis acris, summe aromatici, odoris fragrantissimi, digitis pressa oleum aethereum emittentia, interdum flores nondum evolutos sustinentia. Advehuntur ex India orientali praesertim ex insulis Moluccanis.

Cassia cinnamomea.

Zimmtkassie.

Cinnamomi species? Laurineae.

Cortex interior ramorum convolutus, tenuis, coloris e flavo fusci, fractura subaequabili, fibris sparsis in superficie conspiciendis, saporis et odoris aromatici grati. Differt a Cassia lignea colore dilutiore et sapore non mucilaginoso. Ex India orientali adfertur ad nos.

Castoreum.

Bibergeil.

Castor Fiber L. Mammalia Glirina.

Folliculi (interdum duo juncti) ad 3 pollices longi, compressi, 2 pollices lati, pollicem et dimidium crassi, extus exsiccatione in fumo plus minusve e fusco nigricantes, non pilosi, membrana extima tenui stratum musculorum obducente, altera membrana crassissima, firma, tertia tenui, firma, variis modis cavum trajiciente, Castoreo ipso repletum. Hoc massam sistit compactam, recentem e flavo fuscam, paullum unguinosam, siccam fuscam, friabilem, saporis amaricantis subacris, odoris proprii graveolentis, in spiritu vini rectificatissimo solubilem. Adferuntur folliculi praesertim e Russia et Polonia.

Castoreum Canadense.

Canadisches Bibergeil. Englisches Bibergeil.

Castor Fiber L. Mammalia Glirina.

Folliculi similis structurae ac e Russia et Polonia allatorum, at minores, 2 pollices tantum longi et 8 ad 10 lineas crassi, continentes massam Castoreo supra descripto similem, sed duriorem, fractura nitentem et odoris debilioris. Cave ne confundantur cum folliculis factitiis e massa resinosa membranis convoluta confectis.

Cataplasma ad decubitum.

Plumbum tannicum. Unguentum ad decubitum Autenriethi.

R. **Corticis Quercus** concisi **uncias duas.**

Coque cum

Aquae communis quantitate sufficiente

ad colaturam **unciarum octo**, et decocto filtrato affunde inter agitationem

Liquoris Plumbi hydrico-acetici uncias duas.

Praecipitatum ope filtri separatum, ponderis **unciarum** circiter **trium**, humidum adhuc sub forma linimenti spissioris in ollam immitte et adde

Spiritus Vini rectificatissimi drachmas duas.

Non nisi ad dispensationem paretur.

Catechu.

Terra Japonica. Catechu.

Acaciae species. Leguminosae-Mimoseae; et Uncaria Gambir Roxb. Rubiaceae.

Duae species nunc prostant:

1) in frustis magnis variae formae, foliis involutis, fragilibus, nigris, tritura e fusco luteis, splendentibus, duris, saporis adstringentis;

2) in frustis cubicis, fragilibus, extus e cinereo nigris, intus luteis, friabilibus, opacis, saporis adstringentis.

Utraque ex India orientali ad nos advehitur.

Cera alba.

Weifses Wachs.

Rejiciatur quae sebo adulterata est.

Cera flava.

Gelbes Wachs.

Cerasa acida.

Saure Kirschen.

Prunus Cerasus L. Rosaceae-Amygdaleae.

Cerasa acida siccata.

Trockne saure Kirschen.

Ceratum Cetacei.

Emplastrum Spermatis Ceti.

R. Cerae albae,
Cetacei,
Olei Amygdalarum, singulorum partes aequales.

Liquefacta in cistulas papyraceas effundantur et refrigerata et dissecta serventur.

Sit album nec rancidum.

Ceratum Resinae Burgundicae.

Ceratum Resinae Pini. Emplastrum citrinum.

R. Cerae flavae libras duas,
Resinae Pini Burgundicae libram unam,
Sebi ovilli,
Terebinthinae communis, singulorum libram dimidiam.

Liquefacta in cistulas papyraceas effundantur, tum refrigerata et dissecta serva. Sit colore flavo.

Cerussa.

Bleiweifs.

Massae cohaerentes, friabiles, albae, digitos inquinantes, ponderosae, e plumbo carbonico nec non plumbo hydrico mixtae. Paratur in officinis chemicis variis modis. Cave ne aliis metallis inquinata, neve cum creta, baryta sulphurica, gypso aliisque heterogeneis mixta sit. Caute serva.

Cetaceum.

Sperma Ceti. Wallrath.

Physeter macrocephalus L. Mammalia Cetacea.

Materia sebacea, duriuscula, candida, subdiaphana, splendens, lamellosa, tactu lubrica, sapore blando, odoris expers, calore 50° C. liquescens, in spiritu vini calido et aethere solubilis. E Physeteris supradicti cavitatibus cranio superne impositis ductibusque subcutaneis corporis obtinetur.

Charta resinosa.

Charta antirrheumatica seu antarthritica.

Charta pice navali tenuissime obducta.

Chinioideum.

Chinioidin.

Massa sicca, nitens, coloris fusci, saporis peramari, in aqua paullum, in spiritu vini rectificatissimo facile, in acidis dilutis plane solubilis. In officinis chemicis paratur. Cave ne cupro sit inquinatum.

Chinium hydrochloratum.

Chinium muriaticum.

R. **Baryi chlorati drachmas quinque.**

Solve in

Aquae destillatae ferventis unciis viginti.

Adde sensim

Chinii sulphurici uncias duas.

Ebulliant per aliquot horae sexagesimas partes. Liquor adhuc fervens filtretur et in crystallos redigatur, quae siccatae serventur.

Sint crystalli albissimae, sericeo nitore, splendentes, aciculares, sapore amarissimo, a baryo chlorato et chinio sulphurico liberae.

Chinium sulphuricum.

Schwefelsaures Chinin.

Crystalli albissimae, splendentes, aciculares, flexiles, sapore peramaro, in igne sine residuo comburentes, in

aqua paullum, in spiritu vini rectificatissimo facile, nec non in aethere solubiles. Constat e chinio et acido sulphurico. In officinis chemicis paratur. Sit a salicino, mannite, acido stearinico omnino liberum, neve ultra exiguam quantitatem cinchonii contineat.

Cinnabaris.

Bisulphuretum Hydrargyri. Zinnober.

Massa compacta, radiosa, fragilis, ponderosa, colore livido tritura rubro, in igne plane volatilis. Paratur in officinis chemicis ex hydrargyro et sulphure. Prostat quoque Cinnabaris praeparata, coloris coccinei, sed cave ne haecce inquinata sit.

Cinnamomum acutum.

Zimmt.

Cinnamomum Zeylanicum? Nees ab E. Laurus Cinnamomum L. Laurineae.

Cortex internus ramorum, pluries convolutus, tenuissimus, e fibris densis contextus fractura conspicuis, coloris e fusco rubri, odoris fragrantis, saporis dulcis aromatici. Differt a Cassia cinnamomea et fibris confertis nec sparsis et minore crassitie.

Ex India orientali ad nos adfertur.

Coccionella.

Kochenille.

Coccus Cacti L. Insecta Hemiptera.

Insecta parva, transversim rugosa, supra e rubro nigricantia, pruina alba adspersa, subtus candicantia, rudimentis pedum conspicuis, tritura rubra. Adferuntur feminae exsiccatae e regionibus Mexicanis occidentalibus. Cave ne plumbum admixtum sit.

Colocynthis.

Poma Colocynthidis. Koloquinte.

Cucumis Colocynthis L. Cucurbitaceae.

Fructus pomi magnitudine et figura, plerumque a cortice exteriore mundati, cortice interiore albo, spongioso, multiloculares, semina multa albicantia in pulpa sicca, levi, spongiosa, alba, amarissima continentes. Crescit planta praecipue in Asia minore et Syria, unde fructus ad nos advehuntur. Caute servanda.

Colocynthis praeparata.

Trochisci Alhandal.

R. **Colocynthidis** a seminibus liberatae et minutim concisae **uncias quinque,**
Gummi Arabici pulverati **unciam unam.**

Cum **Aquae sufficiente quantitate** fiat pasta, quae exsiccata in pulverem redigatur subtilem, in vase bene clauso caute servandum. Sit coloris subflavi, saporis peramari.

Colophonium.

Geigenharz.

Pinus sylvestris L. et aliae **Abietinae.**
Coniferae.

Resina compacta, friabilis, e rufo fusca, nitens, subdiaphana, tritura e subflavo alba. Obtinetur e residuo post destillationem olei terebinthinae, liquatione. Non solum in Europa paratur, sed quoque in America boreali, unde ad nos in frustis magis diaphanis advehitur.

Conchae.

Austerschalen.

Ostrea edulis L. Mollusca Acephala.

Sint a sordibus adhaerentibus bene purgatae.

Conchae praeparatae.

Conchae aqua communi affusa decoquantur, scopis a quisquiliis mundentur, bene abluantur et siccentur, tum pulveratae et laevigatae serventur.

Cornu Cervi.

Hirschhorn.

Cortex adstringens Brasiliensis.

Brasilianische adstringirende Rinde.

Pithecolobium Auaremotemo Mart. Mimosa cochliocarpa Gomes. Leguminosae-Mimoseae.

Cortex in frustis longis, planis aut involutis, 2 lin. et dimidiam crassis, superficie rescissa, rimis transversis crebris, per longitudinem leviter rugosa, e grisco fusca, Lepraria candicante obducta. Cortex exterior lineam crassus, facile secedens, compage densiuscula, colore fusco. Cortex medius lineam crassus, compage densissima, abscissus splendens, colore subnigro-brunneo. Cortex interior lineam dimidiam crassus, adnatus, fibrosus, fibris tenuissimis, fuscis. Sapor peradstringens. E Brasilia ad nos adfertur, ex arbore supra dicta desumtus. Cave, ne confundas cum cortice spurio, praesertim superficie profunde et per longitudinem rugosa dignoscendo.

Cortex Cascarillae.

Kaskarillrinde.

Croton Eluteria Swartz. Euphorbiaceae.

Cortex saepissime involutus aut canaliculatus, superficie rugulosa, candicante, rimis transversis brevibus; cortice exteriore tenui intus candicante, medio et intimo intus fusco, fractura aequabili, saporis acris amari, odoris aromatici. Adfertur ex insulis Indiae occidentalis, praesertim Bahamensibus. Rejiciantur rami minores cum corticibus mixti, odoris debilioris.

Cortex Chinae fuscus seu officinalis.

China fusca. Cortex Peruvianus. Braune Chinarinde.

Cinchona glandulifera Ruiz et Pavon. sec. Poeppig. Cinch. scrobiculata Humb. et Bonpl. Cinchona micrantha Ruiz et Pavon. sec. Endlicher. Rubiaceae.

Cortex in frustis utrinque convolutis a pennae anserinae ad digiti minoris crassitiem, lineam dimidiam circiter crassus, superficie e fusco grisea, hinc inde alba pulverulenta aut furfuracea, rugosa, rimis frequentibus transversis haud profundis, strato extimo tenuissimo, secundo obscure fusco fere nigro, denso, fractura aequabili nitidiuscula, tertio et intimo e flavo fusco, fibroso, fibris subtilibus densis. Praeferantur cortices de Loxa et de Guanuco seu Huanuco dicti. Deterioris sunt conditionis cortices rimis transversis plane nullis, strato secundo fusco nec fere nigro, strato tertio pallido, tum crassiores, superficie non furfuracea nec pulverulenta, sed lichenibus nimis obsita.

Ex America meridionali ad nos adfertur.

Cortex Chinae regius.

China regia. Königs-Chinarinde.

Arbor Americae occidentali-meridionalis ignota.

Cortex in frustis planiusculis convexis aut convolutis, pollicem dimidium ad pollicem latis, cortice ipso 2 ad 4

lineas crasso, superficie farinosa alba, valde rugosa rimis transversis profundis, colore ferrugineo in fusco - nigrum vergente praesertim in rugis, strato extimo saepe e plurimis aliis stratis composito, e ferrugineo et nigro alternantibus; strato medio ferrugineo compacto; strato tertio crassissimo, fibroso, fibris densis, colore e rufo fusco interne pallidiore. Praeferatur China de Calisaya dicta, exterioribus corticis stratis tecta. Prostat quoque China regia in frustis longis latisque, tantummodo e strato intimo constantibus fibroso, fibris tenuibus densis, colore e rufo fusco. Non rejicienda ob Chinii copiam.

Ne commutetur cortex uterque cum China flava fibrosa seu China flava de Carthagena fibrosa, strato exteriore et medio tenuissimis saepe deficientibus, intimo fibroso colore e flavo fusco, multo pallidiore quam in China regia genuina.

Ex America meridionali ad nos adfertur.

Cortex Fructus Aurantii.

Cortex Pomorum Aurantii. Pomeranzenschale.

Citrus Aurantium L. Citrus vulgaris Dec.
Aurantiaceae.

Cortex fructus extus e flavo fuscus, intus spongiosus albus, sapore amaro aromatico, odore suavi.

Ad parandum pulverem a cortice interiori albo purgatus sit.

Cortex Fructus Citri.

Zitronenschale.

Citrus Limonum Dec. Aurantiaceae.

Cortex Mezerei.

Seidelbastrinde.

Daphne Mezereum L. Thymelaeae.

Cortex in frustis elongatis, tenuibus, tenacissimis, cortice exteriore e subviridi fusco, interiore seu libro fibroso, subflavo, superficie interna polita, sapore peracri. Colligatur vere e caule fruticis in Germaniae collibus frequentis.

Cortex Quassiae.

Quassienrinde.

Quassia amara? L. Simarubeae.

Cortex tenuis, fragilis, extus cineraceus, rugulosus, intus ex albo griseus, peramarus. Colligitur, ut ferunt, ex arbore in Surinamo indigena.

Cortex Quercus.

Eichenrinde.

Quercus Robur et Q. pedunculata Willd.
Amentaceae - Cupuliferae.

Cortex ramulorum juniorum tenuis, extus e fusco griseus, intus e fusco rufus, amarus, adstringens. Arbores in Germania spontaneae. Colligendus cortex vere

Cortex Radicis Granati.

Granatwurzelrinde.

Punica Granatum L. Myrtaceae.

Frusta variae magnitudinis vix ultra lineam crassa, cortice exteriore e luteolo fusco, rugoso, tenuissimo, medio luteolo, fractura aequabili, intimo subfibroso e luteolo fusco dilutiore, tenuissimo, ligno fibroso luteo, saepe adhaerente, saporis adstringentis. Frutex aut arbor in Europa meridionali et Africa boreali spontaneus, saepe cultus.

Cortex Salicis.

Weidenrinde.

Salix pentandra et fragilis L. Amentaceae-Salicinae.

Cortex ramorum biennium et triennium, tenuis, flexilis, extus fuscus aut subviridis, sublaevis, nitidus, intus luteolus, sapore adstringente amaro. Arbores in Germania frequentes, colligendus cortex vere.

Cortex Simarubae.

Simarubarinde. Ruhrrinde.

Simaruba officinalis Dec. et Simaruba medicinalis Endlicher. Simarubeae.

Cortex radicis prioris in frustis longis, planis aut planiusculis, tenacibus, 2 lineas crassis, tuberculatis, e rufo luteolis, cortice exteriore rugoso, tenuissimo, interiore

crassissimo, fibroso, fibris tenuibus facile separandis, saporis amari. In Gujana indigena arbor, unde cortex adfertur.

Cortex S. medicinalis Endlicher (S. amarae Hayne) pallidior est, tenacior, magis tuberculatus et amarus. E Jamaica advehitur, qui idem adhiberi potest.

Crocus.

Safran.

Crocus sativus L. Irideae.

Stigmata e floribus erepta et siccata in tres lacinias, superne latiores, fissa, apicibus lacinulatis, colore aurantiaco, odore fragranti, sapore aromatico subdulci. Saepissime stylus adhaeret colore luteo insignis. Planta in Oriente, ut videtur, spontanea, in variis Europae regionibus culta. Servetur a luce remotus. Cave ab adulterato.

Cubebae.

Kubeben.

Piper Cubeba L. fil. Blumei nec reliquor. auct. Cubeba officinalis Miquel. Piperaceae.

Baccae siccatae, durinsculae, subglobosae, basi attenuata pedicelliformi fructu longiore, reticulatim rugosae, coloris e cinereo nigri, magnitudinem piperis nigri adaequantes, uniloculares, semine solitario, odore fragranti, sapore aromatico-acri. Advehuntur ex insula Java.

Cuprum.

Kupfer.

Cuprum aceticum.

Aerugo crystallisata. Flores viridis aeris. Acetas cupricus cum Aqua. Essigsaures Kupfer. Krystallisirter Grünspan.

Sal crystallinus, e subcoeruleo viridis, plerumque pulvere viridi hinc inde obtectus, in aquae frigidae partibus quatuordecim, ferventis partibus quinque solubilis, e cupro oxydato, acido acetico et aqua constans.

Paratur in officinis chemicis. Caute serva.

Cuprum aluminatum.

Lapis divinus.

R. **Cupri sulphurici puri,**
Kali nitrici depurati,
Aluminis, singulorum uncias duas.

Contusa liquefiant leni calore in vase cupreo aut terreo vitreato. Liquefactis et ab igne remotis admisce

Camphorae tritae drachmam unam,

tum effunde. Massam refrigeratam ex albo subviridem in frustula diffractam caute serva.

Cuprum sulphuricum purum.

Sulphas cupricus cum Aqua purus.

R. **Ramentorum Cupri partem unam.**

Immitte in retortam vitream et affunde

Acidi sulphurici rectificati partes tres,

antea cum

Aquae destillatae parte una

mixtas. Retortam in balneo arenae igni expone, ut cuprum oxydetur et cum acido sulphurico conjungatur. Massam inde obtentam contere et in **Aqua destillata fervida** dissolve, quod solutum est, filtra et in crystallos redige, quas bene elotas et siccatas in vasis obturatis caute serva.

Crystalli cyaneae, pellucidae, aëri expositae tandem fatiscentes, in aquae frigidae partibus quatuor, calidae partibus duabus, in spiritu vini rectificatissimo non solubiles. Sint a ferro et zinco sulphuricis liberae.

Cuprum sulphuricum venale.

Vitriolum de Cypro** seu **coeruleum. Sulphas cupricus cum Aqua crudus. Kupfer-Vitriol, cyprischer oder blauer Vitriol.

Sal in crystallis aut frustis crystallinis coeruleis, diaphanis, demum fatiscentibus, tritura albens, saporis austeri, in aquae frigidae partibus quatuor, calidae partibus duabus, in spiritu vini rectificatissimo non solubilis, e cupro oxydato, acido sulphurico et aqua constans. Paratur in officinis metallicis.

Sit zinco et praesertim ferro sulphuricis ne nimis inquinatum. Ad usum externum tantum adhibeatur et caute servetur.

Decoctum Zittmanni fortius.

R. **Radicis Sarsaparillae** concisae **uncias duodecim.**

Infunde

Aquae communis libras septuaginta duas

et digere per horas viginti quatuor.

Tum additis

Sacchari albi,

Aluminis, singulorum pulveratorum **drachmis sex,**

Hydrargyri chlorati mitis uncia dimidia,

Cinnabaris praeparatae drachma una,

sacculo linteo inclusis, coque, usque dum **librae viginti quatuor** remanserint, sub finem coctionis addendo

Seminis Anisi vulgaris,

» **Foeniculi**, singulorum contusorum **unciam dimidiam,**

Foliorum Sennae uncias tres,

Radicis Glycyrrhizae glabrae concisae **unciam unam et dimidiam.**

Exprime et cola. Liquorem obtentum et per aliquod tempus sepositum decanta.

8*

Decoctum Zittmanni mitius.

R. **Radicis Sarsaparillae** concisae uncias sex.

Cum speciebus ex decocto fortiori librarum viginti quatuor residuis mixtas coque cum

Aquae communis libris septuaginta duabus,

usque dum librae viginti quatuor remanserint, sub finem coctionis addendo

Corticis Fructus Citri,
Cassiae cinnamomeae,
Cardamomi minoris,
Radicis Glycyrrhizae glabrae, singulorum contusorum et concisorum drachmas tres.

Exprime et cola. Liquorem obtentum et per aliquod tempus sepositum decanta.

Elaeosacchara.

R. **Sacchari albissimi** pulverati unciam unam,
Olei aetherei cujuslibet guttas viginti quatuor.

Misce.

Electuarium e Senna.

Electuarium lenitivum.

R. **Foliorum Sennae** pulveratorum uncias quatuor cum dimidia,
Seminis Coriandri pulverati unciam dimidiam.

Mixtis adde

Syrupi simplicis uncias viginti quatuor,
Pulpae Tamarindorum uncias octo.

Fiat leni calore in balneo vaporis electuarium spissum, e viridi fuscum, quod loco frigido sicco serva, ne corrumpatur.

Elemi.

Elemi.

Icica Icicariba Dec. Burseraceae.

Resina compacta extus durior, intus mollior et tenax, manu contrectata mollescens, coloris citrini, tritura alba, subpellucida, odoris subfoeniculacei. Est succus aëre induratus, ex arbore Brasiliae indigena effluens.

Nunc etiam alia resina prostat in frustis cylindraceis, albis, extus opacis, intus subpellucidis, manu contrectatis mollescentibus, quae adhiberi potest. Ex arbore ignota, uti ajunt, provenit.

Elixir Aurantiorum compositum.

Loco Elixirii visceralis Hoffmanni.

R. **Corticis Fructus Aurantii** a parenchymate interno albo mundati et concisi **uncias sex,**
Cassiae cinnamomeae contusae **uncias duas,**
Kali carbonici puri unciam unam.

Affunde

Vini Madeirensis libras quatuor.

Macera per dies sex, tum exprime et in tinctura solve
Extracti Gentianae,
» **Absinthii,**
» **Trifolii fibrini,**
» **Cascarillae**, singulorum **unciam unam.**

Postquam subsiderint, filtra et in vasis bene clausis serva.

Sit limpidum, colore fusco, sapore amaro-aromatico.

Elixir Proprietatis Paracelsi.

R. **Aloës,**
Myrrhae, singularum grosso modo pulveratarum uncias duas,
Croci pulverati **unciam unam.**

Affunde

Spiritus Vini rectificati libras duas,
Acidi sulphurici diluti uncias duas.

Macerentur per quatuor dies, tum liquor filtretur et servetur.

Sit coloris e rubro fusci obscurioris et limpidum.

Emplastrum adhaesivum.

R. **Olei Olivarum libras sex,**
Lithargyri subtilissime pulverati **libras tres** et **uncias octo.**

Continuo agitando nec non subinde **Aquam communem tepidam** instillando coquantur ad justam emplastri spissi-

tudinem. Tum massa leniori calore, sed quoque sub continua agitatione evaporet, donec omnis aqua evanuerit et color ex albo subluteus in colorem ex albo griseum mutatus fuerit. Lebete ab igne remoto massae adhuc calenti adde

Colophonii libras quatuor,

Terebinthinae communis uncias quatuor,

antea liquefactas et leni igni expositas, donec instar olei tranquille fluant.

Tandem mixta denuo, sub perpetua agitatione, evaporent, donec omnis spuma evanuerit. Refrigerata in frusta diffracta serva.

Sit emplastrum fuscum, nitens, frigore rigidum. Vetustum recenti praeferendum.

Emplastrum adhaesivum Anglicum.

R. **Ichthyocollae** concisae **unciam unam.**

Coque in

Aquae communis quantitate sufficiente

ad solutionis colaturam **unciarum duodecim.** Obducatur in intervallis ope penicilli tela bombycina, Taffent dicta, longitudine et latitudine duorum pedum sat expansa, hujus solutionis calidae **unciis sex** et siccetur quod obductum fuerit. Tum **unciis sex residuis** subinde addantur

Spiritus Vini rectificati unciae quatuor

et tela iterum eodem modo obducatur. Tandem telae dorsum

Tincturae Benzoës quantitate sufficiente

illinatur, bene siccetur et loco sicco servetur.

Sit rigidum, madefactum cuti tenaciter adhaerens.

Emplastrum Ammoniaci.

R. **Cerae flavae,**
Resinae Pini Burgundicae, singularum **uncias** quatuor.

Liquatis et subrefrigeratis admisce

Ammoniaci depurati uncias sex,
Galbani depurati uncias duas,

in

Terebinthinae communis unciis quatuor

in balneo vaporis solutas.

Fiat emplastrum subviride.

Emplastrum Cantharidum ordinarium.

Emplastrum vesicatorium ordinarium.

R. **Cerae flavae uncias duodecim,**
Terebinthinae communis,
Olei Olivarum, singulorum **uncias tres.**

Liquefactis et semirefrigeratis immisce

Cantharidum grosso modo pulveratarum **uncias sex,**

ut fiat emplastrum tactu pingue, molle, particulis viridibus nitentibus aequabiliter dispersis, quod loco sicco serva.

Emplastrum Cantharidum perpetuum.

Emplastrum vesicatorium perpetuum.

R. **Terebinthinae communis,**
Masticbes pulveratae, singularum **uncias tres.**

Leni calore liquatis immisce

Cantharidum pulveratarum **unciam unam,**
Euphorbii pulverati **unciam dimidiam.**

Fiat emplastrum e subviridi nigrum, durum, fragile.

Emplastrum Cerussae.

Emplastrum album coctum.

R. **Lithargyri** subtilissime pulverati **libram unam,**
Olei Olivarum libras quatuor **cum dimidia.**

Coquantur sub agitatione continuata, instillando sensim et prudenter modicam **Aquae communis calidae** copiam, ne humor deficiat. Post solutionem lithargyri adde

Cerussae pulveratae **libras septem.**

Coque continuo agitando et quum ad 125^{0} C. pervenerint, adde, si opus fuerit, in intervallis **Aquam communem calidam,** donec fiat emplastrum.

Sit album, tempore flavescens et cerussa plane subacta.

Emplastrum foetidum.

Emplastrum resolvens.

R. **Ammoniaci depurati uncias duodecim,**
Asae foetidae depuratae uncias quatuor,
Terebinthinae communis,
Emplastri Plumbi simplicis, singulorum **unciam unam.**

Liquefiant in balneo vaporis et miscendo fiat emplastrum. Sit e subviridi fuscum et tenax.

Emplastrum fuscum.

Emplastrum nigrum. Emplastrum Noricum.
Emplastrum Minii adustum.

R. **Minii** subtilissime pulverati **uncias octo,**
Olei Olivarum uncias sedecim.

In lebete idoneo coquantur sub perpetua agitatione, donec colorem e nigro fuscum adipiscantur.

Tum adde

Cerae flavae uncias quatuor,

quas liquatas, admixtis

Camphorae in pauxillo **Olei Olivarum** solutae **drachmis duabus,**

effunde in capsulas papyraceas et post refrigerationem in frustula dissectum emplastrum bene serva.

Sit coloris fusci et camphoram valde redolens.

Emplastrum de Galbano crocatum.

R. **Emplastri Plumbi simplicis uncias sex,**
Cerae flavae uncias duas.

Liquatis et semirefrigeratis adde

Galbani depurati uncias sex,

antea in

Terebinthinae communis uncia una

balneo vaporis solutas, et tum

Croci pulverati **drachmas sex.**

Fiat emplastrum coloris e subflavo fusci.

Emplastrum Hydrargyri.

Emplastrum mercuriale.

R. **Emplastri Plumbi simplicis uncias viginti quatuor,**
Cerae flavae uncias sex.

Liquentur in balneo vaporis, dein ab eo remotis adde

Hydrargyri depurati uncias octo,
Terebinthinae communis unciis quatuor

antea diligenti agitatione, ope **Olei Terebinthinae**, extinctas.

Misce exacte, ut fiat emplastrum.

Sit cinereum, nullis globulis Hydrargyri, quantum fieri potest, conspicuis.

Emplastrum opiatum.

Emplastrum cephalicum.

R. **Terebinthinae communis drachmas tres,**
Elemi drachmam dimidiam.
In balneo vaporis liquatis adde
Mastiches,
Olibani, singulorum pulveratorum **drachmas duas,**
Benzoës pulveratae **drachmam unam,**
et in massam homogeneam redactis admisce
Opii pulverati **drachmam unam,**
Camphorae tritae **drachmam dimidiam,**
ut fiat emplastrum colore fusco, frigore rigidum, camphoram redolens. Loco frigido serva.

Emplastrum oxycroceum.

R. **Cerae flavae,**
Colophonii, singulorum **libram dimidiam.**
Liquefactis, colatis et parumper refrigeratis adde
Ammoniaci depurati,
Galbani depurati, singulorum **uncias duas,**
in
Terebinthinae communis libra dimidia
balneo vaporis antea solutas. Tum immisce
Croci,
Mastiches,
Myrrhae,
Olibani, singulorum pulveratorum **uncias duas.**
Fiat emplastrum è flavo fuscum.

Emplastrum Plumbi compositum.

Emplastrum Lithargyri compositum. Emplastrum Diachylon compositum.

R. **Emplastri Plumbi simplicis libras quatuor,**
Cerae flavae libram dimidiam.

Liquatis admisce

Ammoniaci depurati,
Galbani depurati, singulorum **uncias quatuor.**

in

Terebinthinae communis unciis quatuor

balneo vaporis solutas. Fiat emplastrum e fusco flavum, tenax.

Emplastrum Plumbi simplex.

Emplastrum Lithargyri simplex. Emplastrum Diachylon simplex.

R. Lithargyri subtilissime pulverati libras quinque,
Olei Olivarum libras novem.

Coque moderato igne, spathula semper agitando et pauxillum **Aquae communis calidae** subinde instillando, ad justam emplastri spissitudinem.

Sit albidum, tenax, non unguinosum, nullisque lithargyri non soluti vestigiis conspicuis.

Emplastrum saponatum.

R. **Emplastri Plumbi simplicis libras tres,**
Cerae flavae libram dimidiam.

In balneo vaporis liquatis inter agitandum adde
Saponis Hispanici pulverati **uncias tres.**
Fiat emplastrum tenax, albidum, non lubricum.

Euphorbium.

Euphorbium.

Euphorbia officinarum L. et Euphorbia canariensis L. Euphorbiaceae.

Frustula difformia, sordide subflava, opaca, friabilia, spinarum rudimenta ambientia, aut horum loco foraminulis praedita, saporis acerrime urentis, pulvere sternutationem nimiam excitante. Est succus lacteus aëre induratus plantarum supradictarum sauciatarum. Caute servetur.

Ex Africa et insulis Canariis ad nos adfertur.

Extractum Absinthii.

R. **Summitatum Herbae Absinthii libras quatuor.**
Minutim concisis et in vas idoneum immissis affunde
Aquae communis bullientis tantum, ut mixta pultem referant.

Sepone per viginti quatuor horas, subinde agitando, et tum liquorem ope preli exprimendo separa. Residuo iterum **Aquae communis bullientis** minorem quantitatem quam antea affunde, quo facto ut supra in pultem converte, nec non post duodecim horas similiter ope preli exprime. Liquores obtenti decantando colandoque depurati leni calore, ebullitionem evitando et continuo agitando ad

libras duodecim evaporent. Tum per aliquod tempus sepositi et decantati in balneo vaporis, quod calorem 65 ad 75° C. non superet, denuo evaporent, donec massa remanens effundi nequeat, spathula tamen in fila extrahi possit.

Sit colore e fusco nigro, solutione in aqua fusca, limpida.

Extractum Aconiti.

R. **Herbae Aconiti recentis libras decem.**

Concisae in mortario lapideo contundantur et ope preli fortiter exprimantur, quae operatio, addita **Aquae communis una** vel **una et dimidia libra,** repetatur. Liquores mixti et colati in balneo vaporis temperatura 50 ad 60° C. inter perpetuam agitationem ad **libras duas** evaporent. Quod remansit misce cum

Spiritus Vini rectificatissimi libris duabus

et repone per viginti quatuor horas interdum agitando.

Tum mixta in filtrum linteum immitte et, liquore separato, residuum fortiter exprime, quod cum

Spiritus Vini rectificati libra dimidia

mixtum, denuo exprime.

Liquores mixti et filtrati in balneo vaporis temperatura 50 ad 60° C. ad extracti spissioris densitatem inter perpetuam agitationem evaporent.

Caute serva.

Sit colore obscure fusco, solutione in aqua turbida.

Extractum Aconiti siccum seu pulveratum.

R. **Extracti Aconiti uncias quatuor.**

Misce exacte cum

Sacchari Lactis pulverati **uncia una**

et loco tepido repone, donec mixta perfecte sicca fuerint. Massae tritae, si pondus non exacte unciarum quatuor sit, **tantum Sacchari Lactis** pulverati adde, ut **unciae quatuor** restituantur. quae in vase optime clauso caute serventur.

Nota. Drachma hujus pulveris continet drachmam extracti Aconiti.

Extractum Aloës.

R. **Aloës libram dimidiam.**

In pulverem redactae affunde

Aquae destillatae libras duas.

Macera per quadraginta octo horas. saepius agitando. Liquor subsidendo depuratus et colatus in balneo vaporis, calore 65 ad 75° C. non superante, ad massam pilularum assidue agitando evaporet, quam tum exime, leni calore exsicca et in pulverem redactam in vase bene clauso serva.

Sit pulvis colore e flavo fusco, solutione in aqua turbida.

Extractum Belladonnae.

Paretur e **Foliis recentibus** et **ramulis florescentibus Belladonnae** uti extractum Aconiti, et caute servetur. Sit colore obscure fusco, solutione in aqua fusca, turbida.

Extractum Belladonnae siccum seu pulveratum.

Paretur ex **Extracto Belladonnae** uti extractum Aconiti siccum, et caute servetur.

Extractum Cardui benedicti.

Paretur e **Foliis Cardui benedicti** uti extractum Absinthii.

Sit colore e fusco subviridi, solutionem in aqua e fusco subviridem praebens.

Extractum Cascarillae.

R. **Corticis Cascarillae** minutim contusi **libram unam.**
Affunde
Aquae communis bullientis libras quatuor.
Stent per horas viginti quatuor et ope preli exprime.
Residuo iterum affunde
Aquae communis bullientis libras tres,
digere et fac ut antea.

Liquores commixti, subsidendo et decantando depurati, evaporent leni calore, ebullitionem evitando et continuo agitando, donec remanserint **librae duae**, quae in vase

porcellanico in balneo vaporis 65 ad 75° C. sub continua agitatione ad extracti Absinthii spissitudinem redigantur.

Sit obscure fuscum, in aqua solutione turbida solubile.

Extractum Chelidonii.

Paretur ex **Herba Chelidonii florescenti recenti** uti extractum Aconiti.

Sit colore obscure fusco, solutione in aqua fusca, turbida.

Extractum Chinae fuscae.

Paretur e **Cortice Chinae fusco** uti extractum Cascarillae, nisi quod loco calido exsiccetur. Sit colore fusco, solutione in aqua turbida, e subfusco alba.

Extractum Chinae frigide paratum.

R. **Corticis Chinae** (de Guanuco) grosso modo pulverati **libras duas.**

Infunde

Aquae destillatae libras quinque.

Macerentur per horas quadraginta octo, saepius agitando, tum ope preli fortiter exprimantur. Residuo affunde

Aquae destillatae libras quatuor.

Stent per horas viginti quatuor, tum fortiter exprime. Liquores obtenti filtrentur et in vase porcellanico in balneo vaporis (calore 50 usque ad 60° C.) ad **libram unam** continuo agitando evaporent, deinde liquor refrigeratus et filtratus ad syrupi spissitudinem iterum evaporet. Serva in vase bene clauso.

Sit colore e rubro fusco, solutione in aqua turbidula.

Extractum Cinae aethereum.

R. **Seminis Cinae** pulverati **uncias quatuor.**
Infunde
Aetheris uncias duodecim.
Macera in vase clauso per triduum subinde agitando.
Liquorem decanta, residuum ope preli exprime et denuo infusis
Aetheris unciis octo
operationem repete.
Liquores mixti, post decantationem filtrati, destillatione Aetheris ad **quartam partem** imminuantur et loco tepido ad spissitudinem syrupi evaporent. In vitris clausis servetur.
Sit coloris obscure viridis, in aqua non solubile.

Extractum Colocynthidis.

R. **Colocynthidis** a seminibus liberatae et grosso modo concisae **libram unam.**
Affunde
Spiritus Vini rectificati libras sex.
Digere interdum agitando loco tepido per aliquot dies et exprime fortiter. Residuo affunde
Spiritus Vini rectificati,
Aquae communis, singulorum **libras duas cum dimidia.**
Digere iterum, interdum agitando, per nychthemerum, et exprime. Liquores obtenti et mixti, decantatione et colatione depurati, in balneo vaporis, calore 75° C. non

superante, sub continua agitatione ad massam pilularum evaporent, quam tum exime, leni calore exsicca, et in pulverem redactam caute serva.

Sit pulvis e flavo fuscus et solutione in aqua turbida.

Extractum Colombo.

Paretur e **Radice Colombo** uti extractum Colocynthidis, nisi quod **Spiritus Vini rectificati librae duae** et mixtorum **Spiritus Vini rectificati** et **Aquae communis** singulorum **libra una** sumantur.

Sit pulvis e flavo fuscus, solutione in aqua turbida.

Extractum Conii maculati.

Paretur e **Foliis recentibus** et **ramulis florescentibus Conii maculati** uti extractum Aconiti, et caute servetur.

Sit colore obscure fusco, subviridi, solutione in aqua fusca, turbida.

Extractum Conii maculati siccum seu pulveratum.

Paretur ex **Extracto Conii maculati** uti extractum Aconiti siccum, et caute servetur.

Extractum Corticis Aurantii.

Paretur e **Cortice Fructus Aurantii** uti extractum Colocynthidis, nisi quod **Spiritus Vini rectificati librae tres**, et mixtorum **Spiritus Vini rectificati** et **Aquae**

communis singulorum **libra una et dimidia** sumantur, et liquores obtenti ad extracti Absinthii spissitudinem redigantur.

Sit colore e flavo fusco, solutione in aqua turbida.

Extractum Digitalis.

Paretur e **Foliis recentibus** et **ramulis florescentibus Digitalis** uti extractum Aconiti, et caute servetur.

Sit colore obscure fusco, solutione in aqua e fusco flava, paullum turbida.

Extractum Digitalis siccum seu pulveratum.

Paretur ex **Extracto Digitalis** uti extractum Aconiti siccum, et caute servetur.

Extractum Dulcamarae.

Paretur e **Stipitibus Dulcamarae** uti extractum Absinthii.

Sit colore e fusco nigro, solutione in aqua fusca, limpida.

Extractum Ferri pomatum.

R. **Pomorum acidulorum immaturorum** decorticatorum et in pultem contusorum **libras sex.**

Adde

Filorum ferreorum convolutorum **libram unam.**

Stent in balneo vaporis per octo dies, saepius agitando et aquam evaporatam restituendo. Tum, exemtis filis ferreis, ope preli exprime. Liquor subsidendo et colatione depuratus in vasis porcellanicis in balneo vaporis (75° C.), continuo agitando, evaporatione ad extracti spissitudinem redigatur.

Hoc extractum in **Aquae destillatae partibus quatuor** solvatur, solutum filtretur et ad extracti Absinthii spissitudinem in balneo vaporis, calore 75° C. non superante, sub continua agitatione evaporet.

Sit colore e subviridi nigro, solutione in aqua nigra, limpida, sapore dulci, denum valde adstringenti.

Extractum Filicis aethereum.

Paretur e **Radice Filicis** recenter siccata et pulverata, uti extractum Cinae aethereum. In vitris clausis servetur.

Sit coloris subviridis, in aqua non solubile.

Extractum Foliorum Juglandis.

Paretur e **Foliis Juglandis** uti extractum corticis Aurantii.

Sit colore obscure fusco, solutione in aqua turbida.

Extractum Gentianae.

Paretur e **Radice Gentianae** uti extractum Absinthii, nisi quod ad infusionem loco aquae bullientis **Aqua tepida** circiter 37° C. adhibeatur.

Sit colore fusco, solutione in aqua fusca, limpida.

Extractum Graminis.

Paretur e **Radice Graminis** uti extractum Absinthii, nisi quod extracti **libra una** in **Aquae libris quatuor** solvatur, solutum filtretur, et ad extracti spissitudinem in balneo vaporis (65 ad 75° C.) denuo redigatur.

Sit colore e rubro fusco, solutione in aqua rubicunda, limpida.

Extractum Graminis liquidum.

Mellago Graminis.

R. **Extracti Graminis partes tres,**
Aquae destillatae partem unam.

Misce.

Sit limpidum, colore e fusco rufo, syrupi spissitudine.

Extractum Gratiolae.

Paretur ex **Herba Gratiolae recenti** uti extractum Aconiti, et caute servetur.

Sit colore obscure fusco, solutione fusca, turbida.

Extractum Hellebori nigri.

Paretur e **Radice Hellebori nigri** uti extractum Colocynthidis, nisi quod **Spiritus Vini rectificati librae duae** et mixtorum **Spiritus Vini rectificati** et **Aquae communis** singulorum **libra una** sumantur. Ceterum uti extractum corticis Aurantii.

Sit colore intense fusco et solutione in aqua turbida.

Extractum Hyoscyami.

Paretur e **Foliis recentibus** et **ramulis florescentibus Hyoscyami** uti extractum Aconiti, et caute servetur.

Sit colore obscure fusco, subviridi, solutione in aqua fusca, turbida.

Extractum Hyoscyami siccum seu pulveratum.

Paretur ex **Extracto Hyoscyami** uti extractum Aconiti siccum, et caute servetur.

Extractum Ipecacuanhae.

Emetinum coloratum.

R. **Radicis Ipecacuanhae** grosso modo pulveratae **libram unam.**

Infunde

Spiritus Vini rectificatissimi libras tres.

Macera in vase clauso per aliquot dies, tunc exprime. Residuo iterum affunde

Spiritus Vini rectificatissimi libras duas.

Macera ut antea et exprime. Liquores misceantur et in balneo vaporis (75° C.), continuo agitando, ad densitatem extracti spissi evaporent. Massam solve in

Aquae destillatae partibus quatuor.

Post filtrationem in balneo vaporis (75° C.) inter continuam agitationem ad spissitudinem syrupi evaporet, leni calore exsiccetur et in pulverem redigatur. Servetur caute in vasis bene clausis.

Sit pulvis luteus, solutione in aqua limpida.

Extractum Lactucae virosae.

Paretur ex **Herba Lactucae virosae florescenti recenti** uti extractum Aconiti, et caute servetur.

Sit colore obscure fusco, solutione in aqua e fusco flava, paullum turbida.

Extractum Lactucae virosae siccum seu pulveratum.

Paretur ex **Extracto Lactucae virosae** uti extractum Aconiti siccum, et caute servetur.

Extractum Ligni Quassiae.

Paretur e **Ligno Quassiae** uti extractum Cascarillae. Sit colore fusco, crystallulis saepe mixtum, solutione in aqua turbida, fusca.

Extractum Mezerei aethereum.

R. **Corticis Mezerei** minutim concisi **libras duas.**

Affunde

Spiritus Vini rectificatissimi libras octo.

Digere, interdum agitando, per aliquot dies et exprime fortiter. Residuo admixtis

Spiritus Vini rectificatissimi libris sex

operationem repete.

A liquoribus mixtis et filtratis destillatione in balneo aquae spiritum separa. Residuum destillationis in eodem balneo inter perpetuam agitationem ad extracti densitatem evaporet.

Hoc extractum in lagenam immitte et affunde

Aetheris libram unam.

Macera per quatuor dies, saepius agitando, tum Aetherem decanta et operationem, adhibita

Aetheris libra dimidia,

repete.

Liquores mixti et filtrati destillatione Aetheris ad **quartam partem** diminuantur et in balneo vaporis (50 ad 60° C.) sub perpetua agitatione ad spissitudinem extracti Absinthii evaporent. Caute serva.

Sit coloris subviridis, in aqua non solubile.

Extractum Myrrhae.

Paretur e **Myrrha** uti extractum Aloës.

Sit pulvis e rufo flavus, solutione in aqua turbida.

Extractum Nicotianae.

Paretur e **Foliis Nicotianae** uti extractum Colocynthidis, nisi quod **Spiritus Vini rectificati librae duae** et mixtorum **Spiritus Vini rectificati** et **Aquae communis** singulorum **libra una** sumantur. Ceterum uti extractum corticis Aurantii.

Sit colore e flavo fusco et solutione in aqua turbida.

Extractum Nucum vomicarum aquosum.

Paretur e **Nucibus vomicis** uti extractum Cascarillae, nisi quod loco calido exsiccetur et in pulverem redigatur.

Caute serva. Sit colore e fusco luteo, solutione in aqua turbida, e subviridi alba.

Extractum Nucum vomicarum spirituosum.

R. **Nucum vomicarum** grosso modo pulveratarum **libram unam,**

Spiritus Vini rectificatissimi libras duas.

Digere per quadraginta octo horas, vas subinde agitando. Tum, decantato liquore, residuum exprime.

Digestionem repete additis

Spiritus Vini rectificatissimi libra una et dimidia et exprime.

Tincturae mixtae et filtratae evaporent calore balnei vaporis 75° C. non superante et inter perpetuam agitationem ad extractum spissum, quod leni calore exsiccatum et in pulverem redactum in vase clauso caute servetur.

Sit pulvis colore e viridi fusco, solutione in aqua turbida, sapore peramaro.

Extractum Opii.

R. **Opii** in frustula tenuia concisi **uncias quatuor.**

Infunde

Aquae destillatae uncias sedecim.

Per horas viginti quatuor macerentur, saepius agitando, tum ope preli exprimantur et colentur. Residuo denuo affunde

Aquae destillatae uncias duodecim,

iterumque macerentur per nychthemerum, tum exprime ope preli et cola.

Liquores subsidendo depurati filtrentur et in balneo vaporis calore 50 ad 60^0 C., continuo agitando, ad extracti spissitudinem evaporent. Extractum leni calore exsiccetur et in pulverem redigatur, quem caute serva.

Sit pulvis e rufo fuscus, solutione in aqua turbida.

Extractum Ratanhae.

Paretur e **Radice Ratanhae** uti extractum Cascarillae, nisi quod loco calido exsiccetur.

Sit pulvis splendens, colore e nigro rufo, solutione in aqua e fusco rubra, turbida.

Extractum Rhei.

Paretur e **Radice Rhei** uti extractum Absinthii, nisi quod ad infusionem loco aquae bullientis **Aqua tepida** circiter 40^0 C. adhibeatur et extractum in pulverem redigatur.

Sit pulvis colore e fusco nigro, solutione in aqua e rufo fusca, turbida.

Extractum Rhei compositum.

Loco Extracti catholici et panchymagogi.

R. **Extracti Rhei** uncias tres,

» **Aloës** unciam unam.

Leni calore in

Aquae destillatae unciis quatuor

emollitis admisce

Saponis jalapini unciam unam

in

Spiritus Vini rectificati unciis quatuor

solutam. Tum in balneo vaporis (75° C.) continuo agitando ad massae pilularum spissitudinem evaporet, loco tepido exsiccetur et in pulverem redigatur. Sit pulvis colore e nigricante fusco, solutione in aqua e fusco flava, turbida.

Extractum Scillae.

Paretur e **Radice Scillae** uti extractum Absinthii, nisi quod in loco tepido exsiccetur et in pulverem redigatur.

Sit pulvis colore subflavo, solutione in aqua turbidula.

Extractum Senegae.

Paretur e **Radice Senegae** uti extractum Colocynthidis, nisi quod **Spiritus Vini rectificati** librae duae et mixtorum **Spiritus Vini rectificati** et **Aquae communis** singulorum libra una sumantur. Ceterum uti extractum corticis Aurantii.

Sit colore e flavo fusco et solutione in aqua turbida.

Extractum Sennae.

R. **Foliorum Sennae libram unam.**

Cum

Aquae communis tepidae (40° C.) **libris quatuor** in massam pultiformem redigantur, et post viginti quatuor horas ope preli exprimantur, quae operatio cum

Aquae communis tepidae libris tribus et dimidia repetatur. Liquores decantando et colando depurati in balneo vaporis (65 ad 75° C.) inter continuam agitationem ad extracti spissioris densitatem evaporent. Residuum refrigeratum in

Aquae destillatae partibus quatuor

solvatur, solutum filtretur et evaporatione ad extracti Absinthii spissitudinem redigatur.

Sit colore fusco, solutione in aqua limpida.

Extractum Stramonii.

Paretur e **Foliis recentibus et ramulis florescentibus Stramonii** uti extractum Aconiti, et caute servetur.

Sit colore obscure fusco, solutione in aqua fusca, turbida.

Extractum Taraxaci.

Paretur e **Radice Taraxaci cum Herba** uti extractum Graminis.

Sit colore e rufo fusco, solutione in aqua limpida et fusca.

Extractum Taraxaci liquidum.

Mellago Taraxaci.

R. Extracti Taraxaci partes tres,
Aquae destillatae partem unam.
Misce.
Sit limpidum, colore e rufo fusco, syrupi spissitudine.

Extractum Trifolii.

Paretur e **Foliis Trifolii fibrini** uti extractum Absinthii.

Sit colore e fusco nigro, solutione in aqua fusca, limpida.

Extractum Valerianae.

Paretur e **Radice Valerianae minoris** uti extractum Chinae frigide paratum.

Sit colore e fusco nigro, solutione in aqua limpida.

Nota. Omnia extracta loco sicco serventur. Habeant odorem vegetabilium, e quibus parata sunt. In extractis spiritu vini parandis non licet spiritum destillatione separare, sed evaporatione, uti praescriptum, spiritus expellatur.

Farina Hordei.

Gerstenmehl.

Farina Hordei praeparata.

Farinae Hordei tantum in vas stanneum cylindraceum immitte et fortiter comprime, ut vas ad duas partes (e tribus) usque repletum sit. Tum vas suspendatur in vesica destillatoria aqua ad duas partes repleta, et adaptato alembico aqua bulliat diebus binis, singulo per horas quindecim.

Strato supremo farinaceo ablato, massa e rubello subflava in pulverem redigatur. Serva loco sicco.

Fel Tauri.

Ochsengalle.

Fel Tauri inspissatum.

Fel Tauri recens, calefactum, per linteum colatum in vase porcellanico in balneo vaporis (calore 50 ad 60° C.) sub continua agitatione ad extracti Absinthii spissitudinem evaporet.

Sit colore e subfusco viridi, in aqua solutione limpida, subviridi solubile.

Ferro-Kali tartaricum.

Globuli Tartari ferruginosi seu martiati pulverati.

R. **Ferri limati** partem unam,
Tartari crudi pulverati partes quatuor.

Mixta in vase figulino humectentur **Aqua communi,** ut fiat massa pulti similis, quam saepius agitando et

aquam, quae evaporaverit, iterum iterumque affundendo digere, donec homogenea et nigra appareat et particula in aqua colore e viridi nigro solvatur. Loco tepido seponatur et massa sicca in pulverem crassum redigatur. In vase bene clauso serva.

Sit pulvis coloris e griseo subviridis.

Ferro-Kalium cyanatum flavum.

Kali ferruginoso-hydrocyanicum. Kali zooticum** seu **borussicum. Cyanuretum Kalii et Ferri cum Aqua. Blausaures Eisen-Kali.

Crystalli plerumque cohaerentes, aëre tandem fatiscentes, flavae, sapore subdulci, in aquae frigidae partibus quatuor, fervidae partibus duabus, in spiritu vini rectificatissimo minime solvendae, e kalio, ferro, cyano et aqua constantes. Eligendae crystalli majores, non fatiscentes, a kali sulphurico aliisque heterogeneis plane liberae. Paratur in officinis chemicis.

Ferrum.

Eisen.

Aut in filis, aut limatum, aut in ramentis tortis adhibeatur. Cave ne cupro sit inquinatum.

Ferrum chloratum.

Ferrum muriaticum oxydulatum. Ferrum muriaticum. Chloretum Ferri.

Liquor Ferri chlorati recenter paratus ad cuticulam evaporet et in balneo vaporis (50 ad 60° C.) exsiccetur.

Massam residuam tritam e subviridi flavam statim in vas ingere, in quo bene clauso serva.

Ferrum hydrico-aceticum in Aqua.

Liquor Ferri oxydati hydrato-acetici.

R. **Ferri hydrici in Aqua** partes duas,
Liquoris Ferri acetici partem unam.
Misce ad dispensationem.
Sit turbidum, coloris e fusco rubri.

Ferrum hydricum.

Ferrum oxydatum fuscum. Ferrum carbonicum. Crocus Martis aperitivus. Hydras ferricus.

R. **Ferri sulphurici puri** libram unam.
Solve in
Aquae destillatae calidae libris sex.
Solutis, refrigeratis et filtratis instilla liquorem e
Natri carbonici crudi unciis quatuordecim et
Aquae destillatae quadruplo
paratum et filtratum, aut quantum hujus liquoris ad praecipitationem requiritur.

Praecipitatum filtro separatum et primum **Aqua communi** fervida, tum **Aqua destillata** edulcoratum ope preli exprimatur, lenissimo calore siccetur et in vase bene clauso servetur.

Sit pulvis subtilissimus e rufo fuscus, acido hydrochlorato effervescens.

Ferrum hydricum in Aqua.

Liquor Ferri oxydati hydrati.

R. **Liquoris Ferri sesquichlorati uncias quatuor,**
Aquae destillatae libras quatuor.

Subito inter agitationem adde

Liquoris Ammoniaci caustici uncias septem,

aut **tantum**, ut Ammoniacum aliquid praevaleat. Praecipitatum in filtro collectum diligenter elue, tum humidum adhuc et massam pultiformem referens in lagenam ingere et adde

Aquae destillatae tantum, ut pondus totius mixturae sit **unciarum sedecim.**

Serva in vase clauso.

Sit turbidum, coloris e rubro fusci, ad dispensationem bene conquassandum.

Ferrum iodatum saccharatum.

R. **Ferri pulverati drachmam unam.**

Affunde

Aquae destillatae drachmas quinque.

Tum sensim adjice

Iodi unciam dimidiam

et leni calore repone, interdum agitando, donec color rubicundus in subviridem mutatus sit. Liquorem citissime filtra, filtrum aqua destillata pauca affusa ablue et liquori obtento statim admisce

Sacchari Lactis pulverati **unciam unam** et **dimidiam.**

Solutum in balneo vaporis calore 40 usque ad 50° C. evaporet et massa tenax, addita

Sacchari Lactis uncia una,

in pulverem redigatur.

In vase bene clauso caute serva.

Sit pulvis e subflavo albus, in partibus septem aquae solubilis.

Grana sex continent Iodi granum.

Ferrum phosphoricum oxydulatum.

R. **Ferri sulphurici puri uncias tres.**

Solve in

Aquae destillatae sextuplo.

Solutis et filtratis instilla liquorem e

Natri phosphorici unciis quinque

et

Aquae destillatae sextuplo

paratum et filtratum, aut quantum hujus liquoris ad praecipitationem requiritur.

Praecipitatum bene ablutum sicca et serva.

Sit pulvis subtilissimus e cinereo coeruleus.

Ferrum pulveratum.

Limatura Martis praeparata.

Sit pollen subtilissimum, cinereum, splendore metallico, a cupro liberum.

In vitro bene obturato serva.

Ferrum sulphuricum purum.

Vitriolum Martis purum. Sulphas ferrosus cum Aqua purus.

R. **Acidi sulphurici crudi libras duas.**

In cucurbita vitrea

Aquae communis libris octo

dilutis paullatim immitte

Ferri in filis libram unam

aut tantum, ut ultima pars ferri non soluta remaneat.

Solutis et filtratis admisce

Acidi sulphurici crudi unciam dimidiam.

In crystallos redige, quas ablutas et in aëre bene siccatas in vasis parvis obturatis serva.

Sint e caesio virides, aëri expositae in pulverem albidum fatiscentes, in aquae frigidae partibus duabus, fervidae partibus aequalibus solubiles.

Ferrum sulphuricum venale.

Vitriolum Martis. Grüner Vitriol.

Crystalli pellucidae, virides, tempore fatiscentes obscure virides. Constat e ferro oxydulato, acido sulphurico et aqua, plerumque cupro aliisque heterogeneis inquinatum.

Paratur in officinis metallicis.

Flores Arnicae.

Wohlverleihblumen.

Arnica montana L. Compositae-Asteroideae.

Flores compositi radiati flavi, involucro e squamis aequalibus. Serventur tantummodo flosculi ab involucro separati, germine tuboque pubescentibus instructi, disci quinquefidi, radii ligula flava, 2 lineas lata, tridentata, filamentis castratis, pappo sessili denticulato fragili. Digitis confricati flores sternutationem movent, sapor eorum ex acri amaricans. Planta crescit in pratis paludosis Europae borealis, in alpestribus Europae mediae.

Flores Aurantii seu Naphae.

Pomeranzenblüthen.

Citrus Aurantium L. Citrus vulgaris Dec. Aurantiaceae.

Florum recentium petala alba, paullum crassa, odore fragrantia suavissimo, arboris apud nos in hybernaculis cultae. Flores siccati pentapetali lutescentes, saepe cum calyce quinquedentato prostant.

Si condiuntur flores Aurantii, misce partes duas florum recentium cum parte una Natrii chlorati.

Flores Chamomillae Romanae.

Römische Kamillen.

Anthemis nobilis L. Compositae-Anthemideae.

Flores compositi, involucri squamis dense imbricatis, apice scariosis, pilis adpressis, receptaculo fere plano,

palcis flosculos non superantibus, apice obtusis laceris, dorso pilosis, flosculis disci flavis, radii albis, odoris aromatici fortis, saporis aromatici amaricantis. Saepissime luxuriantes inveniuntur, flosculis scilicet disci magis minusve in radii flosculos mutatis. In Germania calidiore planta spontanea, frequens in Belgio, Gallia, Anglia, apud nos in hortis culta; flores mense Julio colligendi.

Flores Chamomillae vulgaris.

Gemeine Kamillen.

Matricaria Chamomilla L. Compositae-Anthemideae.

Flores compositi, involucri squamis imbricatis, margine scariosis, glabris, receptaculo conico nudo, cavo, flosculis disci flavis, radii albis, odoris proprii gravis, saporis amari aromatici. Planta in arvis totius Germaniae frequens, flores mensibus Junio et Julio colligendi. Ne confundatur cum Matricaria inodora L. et. Dec., cujus flores compositi majores, inodori, nec cum Anthemide Cotula et arvensi, a quibus palearum defectu differt.

Flores Lavandulae.

Lavendelblumen.

Lavandula vera Dec. Labiatae.

Corollae cylindraceae, coeruleae, cum calycibus similiter cylindraceis, subquinquedentatis, subcoeruleis, odore aromatico fragrantes. Crescit fruticulus in Europa meridionali, apud nos in hortis cultus.

Flores Malvae arboreae.

Stockrosen.

Althaea rosea Cavanill. Malvaceae.

Flores calyce duplici tomentoso, exteriore multipartito, interiore quinquefido, corollis pentapetalis, saepe luxuriantibus, 2 pollices fere longis, plerumque atro-fuscis, sapore mucilaginoso. Planta biennis in Europa australi indigena, apud nos in hortis culta.

Flores Millefolii.

Schafgarbenblumen.

Achillea Millefolium L. Compositae-Anthemideae.

Flores compositi, corymbosi, ovales, involucri squamis rotundatis, subtomentosis, margine scariosis, ligulis brevibus, latissimis, albis aut rubicundis, saporis amari subacris, odoris subaromatici. Planta perennis frequens ad agros in Germania. Colligendi flores mensibus Junio et Julio.

Flores Rhoeados.

Klatschrosen.

Papaver Rhoeas L. Papaveraceae.

Petala pollicem et quod excurrit longa, basi attenuata, subundulata, purpurea, basi e violaceo nigra, sapore mucilaginoso. Frequens planta in agris Germaniae. Colligendi flores mensibus Junio et Julio.

Flores Rosarum incarnatarum.

Rosenblumenblätter.

Rosa centifolia L. Rosaceae.

Petala pallide rubentia, odoris gratissimi. Ad aquam Rosarum parandam **petala recentia** cum **dimidia parte Natrii chlorati** condiantur. Frutex in Oriente spontaneus apud nos in hortis frequens colitur.

Flores Sambuci.

Fliederblumen. Hollunderblumen.

Sambucus nigra L. Sambucinae.

Cymae florentes, corollis epigynis, monopetalis, quinquelobis, rotatis, ex albo luteolis, calyce minimo quinquedentato, odore et sapore peculiari. Frequens arbor in Germania. Colligendi flores tempestate sicca.

Flores Stoechados citrinae.

Sandruhrkrautblumen.

Gnaphalium arenarium L. Compositae-Helichryseae.

Flores compositi subglobosi, involucri squamis imbricatis, subrotundis, scariosis, albentibus, flosculis omnibus hermaphroditis flavis, odoris peculiaris. Planta frequens in sabulosis Germaniae, colligendi flores mensibus Julio et Augusto.

Flores Tanaceti.

Rainfarrnblumen.

Tanacetum vulgare L. Compositae-Artemisiaceae.

Flores compositi corymbosi, hemisphaerici, involucro imbricato, flosculis disci tubulosis quinquedentatis, radii trifidis flavis, sapore amaro et odore aromatico. Frequens planta in Germania.

Flores Tiliae.

Lindenblüthen.

Tilia europaea L. Tilia microphylla Venten. et Tilia platyphylla Scop. Tiliaceae.

Flores calyce quinquepartito, corolla pentapetala, staminibus numerosis receptaculo insertis, germine subgloboso, hirsuto. Arbores indigenae. Colligantur flores sine pedicellis et bracteis inque vasis bene obturatis, nec ultra annum, serventur.

Flores Verbasci.

Wollkrautblumen.

Verbascum Thapsus et thapsiforme Schrad. Scrophularinae.

Corollae monopetalae, quinquelobae, irregulares, magis minusve laete flavae, saporis mucilaginosi, odoris peculiaris. Plantae frequentes in Germania; colligendae corollae sine calycibus mensibus Julio et Augusto tem-

pestate sicca, nec non loco sicco cito siccandae et in vasis antea calefactis et bene obturatis servandae.

Folia Althaeae.

Eibischblätter. Altheeblätter.

Althaea officinalis L. Malvaceae.

Folia subcordata, triloba et subquinqueloba, inaequaliter et acute crenata, utrinque tomento albido-cinereo mollissimo tecta. Crescit planta in variis Germaniae locis, praesertim ad sepes. Folia plantae cultae adhibere licet. Colligenda mensibus Junio et Julio antequam planta florescit.

Folia Aurantii.

Pomeranzenblätter.

Citrus Aurantium L. Citrus vulgaris Dec. Aurantiaceae.

Folia oblonga, acuta, subserrata, glaberrima, petiolo alato, ala ad 2 lineas lata obcordato-ovata, saporis amaricantis, trita fragrantia. Colligenda aestate. Differunt a foliis Citri Limoni Dec., quibus ala petioli angustissima.

Folia Belladonnae.

Tollkirschenblätter. Belladonnablätter.

Atropa Belladonna L. Solaneae.

Folia ovalia in petiolum attenuata, subrepanda, integerrima, fere acuta, juniora pubescentia, adulta nervis

tantum subpubescentia. Colligenda e planta florescente, spontanea in nemorosis Germaniae. Caute servanda.

Folia Bucco.

Buckublätter.

Barosma crenulata Willd. Diosma crenulata L. et Barosma serratifolia Willd. Rutaceae.

Folia lanceolata, brevia (8 ad 9 lineas longa), fere obtusa, cartilagineo-crenulata, glaberrima, subtus glandulis conspersa, coriacea, graveolentia. Non rejicienda quae mixta sunt cum foliis Barosmae serratifoliae similibus sed angustioribus. E promontorio bonae spei ad nos afferuntur.

Folia Cardui benedicti.

Kardobenediktenblätter.

Cnicus benedictus Gaertn. Dec. Centaurea benedicta L. Compositae-Cynareae.

Folia sessilia sinuato-pinnatifida, denticulata et spinulosa, pubescentia, peramara. Planta annua, in Graecia praesertim spontanea, apud nos culta.

Folia Digitalis.

Fingerhutblätter.

Digitalis purpurea L. Scrophularinae.

Folia oblonga aut oblongo-lanceolata, in petiolum attenuata, acute crenata, rugosa, praesertim subtus magis

minusve tomentosa, saporis amari et acris. Crescit planta biennis in Germania, praecipue in locis montosis. Colligenda folia e plantis florescentibus, sponte crescentibus, nec in horto cultis; siccentur in umbra ac in vasis a luce remotis, nec ultra annum sed caute serventur.

Folia Farfarae.

Huflattigblätter.

Tussilago Farfara L. Compositae-Tussilagineae.

Folia reniformi-cordata rotundata, angulata, sinuato-denticulata, subtus albo-tomentosa, saporis subadstringentis amari. Planta perennis frequens ad vias et agros in Germania. Colligenda folia mense Majo.

Folia Hyoscyami.

Bilsenkrautblätter.

Hyoscyamus niger L. Solaneae.

Folia sinuata, villosa, pallide subviridia, odore nauseoso narcotico. Planta biennis ad vias et in ruderatis Germaniae frequens. Colligantur folia cum planta florescit, nec ultra annum sed caute serventur.

Folia Juglandis.

Wallnufsblätter.

Juglans regia L. Terebinthaceae.

Folia impari-pinnata, foliolis subnovenis oblongo-lanceolatis, glabris, subserratis, odore gravi. Colligantur mense Junio ex arbore apud nos culta.

Folia Melissae seu Melissae citratae.

Melisse. Zitronenmelisse.

Melissa officinalis L. Labiatae.

Folia subcordata, aut ovata et ovalia, crenato-serrata, magis minusve hirta, saporis odorisque aromatici. Planta perennis, spontanea in Germania australi, frequenter apud nos in hortis colitur. Colligantur folia cum planta florescit. A varietate citriodora Nepetae Catariae L. dignoscitur foliis subtus pilosis nec cano-tomentosis.

Folia Menthae crispae.

Krausemünze.

Mentha crispa L. Labiatae.

Folia breviter petiolata, cordata et ovata, bullato-rugosa, dentata, dentibus paullum productis, sapore aromatico, odore peculiari dignoscenda. Planta in hortis Germaniae frequens colitur. Colligenda folia cum planta florescit.

Folia Menthae piperitae.

Pfeffermünze.

Mentha piperita L. Labiatae.

Folia longius petiolata, ovalia et oblonga, acuta, argute serrata, supra glabra, subtus paullum hirsuta, fragrantia, saporis aromatici et camphoracei cum sensu frigoris in ore. Planta in Anglia spontanea, apud nos in hortis colitur. Colligenda folia cum planta florescit.

Folia Millefolii.

Schafgarbenblätter.

Achillea Millefolium L. Compositae-Anthemideae.

Folia bipinnatifida, laciniis brevissimis filiformibus, setula terminatis, hirta. Frequens planta in Germania, colligenda folia mense Junio.

Folia Nicotianae.

Tabacksblätter.

Nicotiana Tabacum L. Solaneae.

Folia siccata, fusca, oblongo-lanceolata, basi attenuata, elongata, integerrima, odoris subnauseosi, saporis acris. Planta ex America oriunda frequenter apud nos colitur. Adhibeantur folia, quae vulgo Virginiana vocantur.

Folia Nicotianae rusticae.

Bauerntabacksblätter.

Nicotiana rustica L. Solaneae.

Folia recentia, petiolata, ovata, integerrima, hirsuta. Crescit planta in Brasilia, ut ajunt, nunc in Europa colitur. Colligenda folia antequam planta florescit.

Folia Rosmarini.

Rosmarinblätter.

Rosmarinus officinalis L. Labiatae.

Folia rigida, brevissime petiolata, linearia, acuta, rugosa, margine reflexo, aromatica, acria. Frutex in Europa australi spontaneus, apud nos in hortis colitur.

Folia Rutae.

Raute. Gartenraute.

Ruta graveolens L. Rutaceae.

Folia supradecomposita, laciniis ultimis cuneiformibus, glandulosa, e subcoeruleo viridia, graveolentia. In Europa australi planta spontanea, apud nos in hortis colitur.

Folia Salviae.

Salveiblätter.

Salvia officinalis L. Labiatae.

Folia petiolata, lanceolata, obtusa, integra, crenulata, rugosa, subvillosa, odoris aromatici, saporis amari adstringentis. Fruticulus in Europa australi-orientali indigenus, apud nos in hortis colitur. Colligenda folia antequam planta florescit.

Folia Sennae.

Sennesblätter.

Cassia lanceolata Forsk. et Nectoux et Cassia acutifolia Delile. Leguminosae-Caesalpinieae.

Foliola oblonga, acuta, mucronulata, margine inflexo, venosa, glabra, pallide viridia, odoris peculiaris, saporis amaricantis. Saepissime mixta sunt cum foliolis obverse oblongis (antrorsum latioribus), mucronulatis, a Cassia Senna Nectoux et Jacq., C. obovata et obtusata Hayne desumtis; tum quoque cum foliolis Cassiae Ehrenbergii Bisch. lanceolatis, angustis, $1\frac{1}{2}$ ad 3 lineas latis, 1 ad $1\frac{1}{2}$ pollices longis, subtus pubescentibus. Rarius mixta reperiuntur cum foliis Solenostemmae Argel R. Br. (Cynanchi Argel L.), lanceolatis, multo longioribus, coriaceis, pilis longis incumbentibus.

Interdum prostant folia Sennae, Indica dicta, a Cassia acutifolia Delile desumta, membranacea, lanceolata, acuta, mucronata, subtus pubescentia, multo longiora (pollicem et quod excurrit longa, 2 ad 3 lineas lata), quae eadem adhibere licet. Ex Alexandria, e Tripoli, nec non ex India orientali ad nos foliola advehuntur. Rejiciantur petioli foliorum et folliculi (legumina membranacea) immixti.

Folia Sennae Spiritu Vini extracta.

Folia Sennae sine resina.

Folia Sennae cum partibus quatuor **Spiritus Vini rectificatissimi** per biduum macerentur, tunc exprimantur et siccentur.

Folia Stramonii.

Stechapfelblätter.

Datura Stramonium L. Solaneae.

Folia petiolata, ovata, dentato-sinuata, glabra, saturatiori-viridia, odoris narcotici. Planta annua ad sepes, vias et in ruderatis Germaniae frequens. Colligenda folia cum planta florescit et caute nec ultra annum servanda.

Folia Toxicodendri.

Giftsumachblätter.

Rhus radicans L. Verniceae.

Folia ternata, foliolis ovatis, acuminatis, repandis, subcrenatis aut interdum incisis, subglabris. Frutex in America boreali indigenus, apud nos in hortis colitur. Colligenda folia mensibus Junio et Julio, manibus nudis non tangenda et caute servanda.

Folia Trifolii fibrini seu aquatici.

Fieberkleeblätter. Bitterkleeblätter.

Menyanthes trifoliata L. Gentianeae.

Folia ternata, foliolis subsessilibus, oblongis, obtusis, leviter crenulatis, glabris, laete viridibus, saporis amari. Frequens planta in aquosis Germaniae, colligenda folia mensibus Majo et Junio.

Folia Uvae Ursi.

Bärentraubenblätter.

Arbutus Uva Ursi L. Arctostaphylos Uva Ursi Sprengel. Ericineae.

Folia breviter petiolata, obovata et obverse oblonga, integerrima, glabra, coriacea, in pagina inferiore venis reticulatis, saporis subadstringentis. Habitat fruticulus in Germaniae borealis sabulosis, colligenda folia aestate nec commutanda cum foliis Vaccinii Vitis Idaeae pagina inferiore punctatis.

Formicae.

Ameisen.

Formica rufa L. Insecta Hymenoptera.

Insecta neutra aptera, rufa, capite postice abdomineque nigricantibus. Habitant frequentes in Europae sylvis praesertim acerosis. Odorem spargunt acidum.

Non nisi viventia et a quisquiliis mundata adhibeantur.

Fructus Aurantii immaturi.

Poma Aurantii immatura. Unreife Pomeranzen.

Citrus Aurantium L. Citrus vulgaris Dec. Aurantiaceae.

Fructus immaturi siccati, globosi, ad magnitudinem cerasorum usque electi, e viridi subnigri, odoris aromatici, saporis amari.

Fructus Capsici annui.

Piper Hispanicum seu Indicum. Spanischer Pfeffer.

Capsicum annuum L. Solaneae.

Bacca carnosa, non pulposa, conica, rubra, nitida, intus cava, bi- ad trilocularis, seminibus depressis albis, saporis piperiti fervidi. Planta annua, Americae mediae incola, apud nos colitur.

Fructus Citri.

Poma Citri. Zitronen.

Citrus Limonum Dec. Aurantiaceae.

Galbanum.

Gummi Galbanum. Mutterharz.

Galbanum officinale? D. Don. Opoidia galbanifera? Lindl. Umbelliferae.

Gummi-resina aut in granis siccis, subflavis, intus albidis, aut in massis e subviridi et subfusco luteis, paullum splendentibus, e glebis granisve intus albidis conglutinatis. Frigore est fragilis, manus calore emolliends, saporis amaro-acris, odoris gravis subnauseosi. Est succus induratus plantae Persicae nondum satis definitae.

Galbanum depuratum.

Paretur e **Galbano** uti Ammoniacum depuratum.

Gallae.

Galläpfel.

Quercus infectoria Olivier. Amentaceae-Cupuliferae.

Excrescentiae globosae basi attenuatae, verrucoso-echinatae, interdum foramine praeditae, ponderosae, e subviridi cinereae, durae, sapore adstringente. Oriuntur in foliis Quercus supradictae, fruticis seu arboris orientalis, punctura Cynipis Gallae tinctoriae Olivier. Ex Oriente ad nos advehuntur.

Glandes Quercus.

Eicheln.

Quercus Robur et Q. pedunculata Willd. Amentaceae-Cupuliferae.

Fructus maturi sine cupulis.

Glandes Quercus tostae.

Glandes Quercus a pericarpiis mundatae in cylindro cavo ferreo clauso super ignem circumagendo torreantur, donec fuscum induerint colorem. Refrigeratas in pulverem crassum redige.

Gummi Arabicum.

Gummi Mimosae. Arabisches Gummi. Mimosengummi.

Acacia Ehrenbergii Hayne et Nees. Mimosa tortilis et Mimosa Seyal Forsk. Leguminosae-Mimoseae.

Gummi in frustis saepe globosis, albicantibus aut paullum flavescentibus, nitentibus, diffractis in frustula parva, angulata, pellucida, vitreo splendore nitentia, fractura conchoidea dissilientibus, saporis fatui, odoris nullius. Genuinum cum partibus sex octove aquae solutionem fluidam praebet. Effluit e cortice Acaciarum supra dictarum nec non, ut videtur, aliarum specierum in Africae borealis desertis crescentium.

Gutti.

Gummi Guttae. Gummigutt.

Arbor ignota Chinensis.

Gummi-resina in frustis magnis, compacta, fragilis, opaca, colore e luteo rubro, trita citrino, madefacta laete flavo, sapore initio vix ullo, demum ex acri subdulci. Advehitur ex China. Caute serva.

Herba Absinthii.

Wermuth.

Artemisia Absinthium L. Compositae-Artemisiaceae.

Herba florens. Folia inferiora triplicato-pinnatifida, superiora pinnatifida, laciniis ultimis lanceolatis antrorsum

latioribus, summa indivisa, omnia utrinque praesertim subtus sericeo-tomentosa. Flores compositi nutantes, subglobosi, involucri squamis exterioribus tomentosis, interioribus membranaceis subnudis, receptaculo hemisphaerico piloso, corollulis flavescentibus. Sapor peramarus, odor aromaticus, gravis. Habitat in ruderatis et ad sepes Germaniae planta perennis, colligenda mensibus Julio et Augusto. Servetur a caulibus crassioribus repurgata.

Herba Aconiti.

Eisenhütleinkraut.

Aconitum Neomontanum Willd. Acon. Stoerkeanum Reichenbach. Acon. Cammarum Haynei.

Ranunculaceae-Aconiteae.

Herba florens. Caulis superne ad flores saepe pubescens. Folia subdigitata quinquepartita, laciniis primariis cuneiformibus inciso-pinnatifidis, ultimis acutis, superficie glaberrima splendente. Flores cyanei, galea erecta ad 6 lineas alta, rostro magis minusve recurvo, calcaribus incurvis. Habitat in montosis et alpestribus Silesiae, Thuringiae et alibi in Germania et Helvetia. Planta perennis. (Cum plerumque sparsim crescat, in hortis cultam adhibere licet.) Ne ultra annum sed caute servetur.

Herba Ballotae lanatae.

Wolliges Wolfstrappkraut.

Leonurus lanatus Pers. Benth. Labiatae.

Caulis quadrangulus lanatus. Folia petiolata, pal-

mata, laciniis linearibus, supra glabra, subtus dense tomentosa. Flores 10 ad 13 in verticillis (fasciculis) densis axillaribus, calyce quinquedentato lanato, corollae labio superiori extus tomentoso. Planta in Sibiria spontanea, in hortis apud nos culta et cum florescit colligenda.

Herba Centaurii minoris.

Tausendgüldenkraut.

Erythraea Centaurium Richard. Pers. Gentianeae.

Herba florens, caule angulato superne diviso, foliis caulinis oppositis, sessilibus, ovatis, subacutis, trinerviis, floribus rubris, antheris luteis demum spiraliter tortis. Frequens in Germania ad agrorum et pratorum margines. Colligatur mense Julio.

Herba Chelidonii.

Schöllkraut.

Chelidonium majus L. Papaveraceae.

Herba recens, foliis pinnatis, foliolis petiolatis, ovatis, crenato incisis, tenuibus, subtus praesertim nervis pubescentibus, succo flavo acri repletis. Frequens planta ad sepes et in ruderatis Germaniae, colligenda herba cum planta florescit.

Herba Chenopodii ambrosioidis seu Botryos Mexicanae.

Mexikanisches Traubenkraut.

Chenopodium ambrosioides L. Chenopodiaceae.

Herba florens, foliis lanceolatis basi attenuatis, acutis, remote dentatis, glabris, scabris, odoris proprii fortis. Planta Mexicana, nunc spontanea in Europa occidentali, apud nos in hortis colitur. Colligenda mense Julio.

Herba Cochleariae.

Löffelkraut.

Cochlearia officinalis L. Cruciferae.

Herba recens florens, foliis radicalibus cordato-subrotundis, petiolatis, subdentatis, caulinis sessilibus, oblongis, sinuato-dentatis, corollis albis. Crescit planta in littoribus Europae borealis, apud nos in hortis colitur, ubi vere colligenda.

Herba Conii maculati.

Schierlingskraut.

Conium maculatum L. Umbelliferae.

Herba cum floribus, caule et ramis glabris, fusco-maculatis; foliis supradecompositis ubique glabris, opacis,

laciniis ultimis ovalibus, mucronulatis, odore murino; floribus albis. Crescit in ruderatis Germaniae. Caute neve ultra annum servetur.

Herba Gratiolae.

Gottesgnadenkraut.

Gratiola officinalis L. Scrophularinae.

Herba florens, caule tetragono stricto, superne ramoso, foliis oppositis, sessilibus, lanceolatis, serrulatis, glabris, subtrinerviis, floribus axillaribus solitariis, corollis ringentibus albidis. Frequens planta in pratis paludosis Germaniae, colligenda mensibus Junio et Julio. Caute servetur.

Herba Lactucae virosae.

Giftlattigkraut.

Lactuca virosa L. Compositae-Cichoraceae.

Herba recens, lactescens, foliis horizontalibus, sessilibus, plerumque integris et oblongis, rarius sinu uno alterove excisis, margine et carina aculeatis, glabris. In variis Germaniae locis planta spontanea invenitur, sed non frequens, itaque cultam adhibere licet. Colligatur cum ramulis florescentibus. Ne confundatur cum herba Lactucae Scariolae, foliis verticalibus, plerumque sinuato-pinnatifidis, rarius integris dignoscenda.

Herba Lobeliae.

Lobelienkraut.

Lobelia inflata L. Lobeliaceae.

Herba florens, caule pedali et ultra, inferne simplici, hirsuto, superne ramuloso, glabro, foliis sessilibus, oblongo-lanceolatis, acutis, serratis, floribus parvis racemosis, calyce inflato, corollis coeruleis sublabiatis; saporis initio debilis, demum acris. Planta annua Americae borealis apud nos in hortis colitur.

Herba Lycopodii.

Bärlappkraut.

Lycopodium clavatum L. Filices.

Caules elongati, repentes, undique tecti foliis sessilibus, linearibus, apice setigeris. Filix frequens in locis sterilibus sylvaticis Germaniae borealis. Colligenda herba mensibus Majo et Junio.

Herba Marrubii.

Weiſser Andorn.

Marrubium vulgare L. Labiatae.

Herba florens, caule quadrangulari, dense tomentoso, foliis oppositis, inferioribus petiolatis, superioribus subsessilibus ovalibus et subrotundis, crenatis, magis minusve tomentosis albis, floribus in verticillis spuriis, calycibus decemdentatis, dentibus apice reflexis. Frequens planta in Germania ad sepes, pagos, colligenda herba mensibus Julio et Augusto.

Herba Meliloti citrinae.

Meliloten. Steinklee.

Melilotus officinalis Willd. Leguminosae-Papilionaceae.

Rami florentes, foliis ternatis, foliolis oblongis, serrulatis, stipulis subulatis, floribus racemosis, corollis papilionaceis flavis, carina et alis longitudine vexilli, odore peculiari dignoscendi. Planta in Germania frequens. Colligenda herba mense Julio.

Herba Polygalae amarae.

Bittere Kreuzblume.

Polygala amara L. Polygaleae.

Herba florens cum radicibus tenuibus, luteolis, caulibus pluribus, superne ramosis, 3 ad 4 pollices altis, foliis radicalibus et infimis caulinis spathulatis, petiolatis, plurimis in orbem digestis, caulinis superioribus lanceolatis, sessilibus, floribus parvis, corollis subcoeruleis, sapore e subamaro dulci. Crescit planta in montosis Germaniae. Cave ne cum aliis speciebus Polygalae commutes, a quibus praesertim foliis radicalibus et infimis caulinis distinguitur.

Herba Pulsatillae.

Schwarze Küchenschelle.

Anemone pratensis L. Ranunculaceae.

Herba florens, foliis bipinnatifidis, laciniis partitis

linearibus, mucronulatis, pilosis, involucro foliaceo, floribus solitariis nutantibus, petalis extus sericeis intus cyaneis, apice reflexis. Planta frequens in sabulosis Germaniae praesertim borealis. Colligatur herba mensibus Aprili et Majo et pulvis in vasis bene obturatis servetur.

Herba Sabinae.

Sadebaumkraut.

Juniperus Sabina L. Coniferae.

Rami ramulis densis coarctatis non patentibus, foliis oppositis ternisve, brevissimis, imbricatis, rarius elongatis, patentibus, acutis, decurrentibus, saporis acris, odoris peculiaris. Frutex sempervirens in Europa australi spontaneus, nobis hortensis. Caute servetur.

Herba Serpylli.

Feldkümmelkraut. Quendelkraut.

Thymus Serpyllum L. Labiatae.

Herba florens, caule prostrato, foliis oppositis, breviter petiolatis, ovatis et ovalibus, obtusis, basi ciliatis, floribus capitatis, corollis magis minusve rubentibus interdum albis, odoris aromatici. Frequens fruticulus in Germania, colligenda herba mensibus Junio et Julio. Varietas aut species (Thymus exserens Ehrh.) foliis lanceolato-linearibus, in sabulosis Germaniae frequentissima, ejusdem est virtutis.

Herba Thymi.

Thymiankraut.

Thymus vulgaris L. Labiatae.

Herba florens, caule erecto, ramoso, foliis oppositis, ovatis et oblongis, margine revolutis, punctatis, supra subhirtis, subtus tomentoso-candicantibus, floribus verticillato-spicatis (flores in anthuro), odoris aromatici. Habitat fruticulus in Europa australi, apud nos in hortis cultus. Colligenda herba mensibus Junio et Julio.

Herba Violae tricoloris.

Herba Jaceae. Freisamkraut. Stiefmütterchenkraut.

Viola tricolor L. Violariae.

Herba florens, caule angulato, ramoso, diffuso, foliis alternis ovatis et oblongis, obtusis, crenatis, stipulis pinnatifidis, corollis irregularibus, subcoeruleis aut albidis. Frequens planta in Germania, colligenda aestate.

Hirudines.

Blutegel.

Sanguisugae species. Annulata s. Annelides.

Sanguisuga medicinalis Savigny. Deutscher Blutegel.

Supra olivacea, lineis longitudinalibus sex ferrugineis, lateralibus nigro-punctatis; subtus cinerea, maculis margineque nigris.

Sanguisuga officinalis* Savigny. *Ungarischer Blutegel.

Supra medio olivacea, linea utrinque lateribusque ferrugineis, his nigro-variegatis, seriatim maculatis; subtus cinerea, immaculata, vitta utrinque laterali nigra.

Habitant in Europae paludibus.

Sint minimae granorum octo ad quindecim, mediae sedecim ad triginta, maximae triginta unius ad quinquaginta, omnes ad sugendum antea non adhibitae.

Hydrargyrum seu Mercurius vivus.

Quecksilber.

Hydrargyrum amidato-bichloratum.

Hydrargyrum ammoniato-muriaticum. Mercurius praecipitatus albus. Hydrochloras ammonicus cum Oxydo hydrargyrico.

***R.* Hydrargyri bichlorati corrosivi uncias octo.**

Solve in

Aquae destillatae calidae libris duodecim.

Solutis, refrigeratis et filtratis adde inter agitationem

Liquoris Ammoniaci caustici libram unam aut quantum ad praecipitationem requiritur.

Praecipitatum filtro separa, et **Aqua destillata** cum **parva copia Liquoris Ammoniaci caustici** mixta ablue. Loco obscuro sicca et in vasis bene clausis a luce remotis cautissime serva.

Sit albissimum et igne plane volatile.

Hydrargyrum bichloratum corrosivum.

Hydrargyrum muriaticum corrosivum. Mercurius sublimatus corrosivus. Bichloretum Hydrargyri.

R. **Hydrargyri depurati libram unam.**

Immitte in retortam vitream et affunde

Acidi sulphurici crudi libram unam cum dimidia.

Adaptato excipulo aquam continente retortam in balneo arenae igni expone, donec post evolutionem acidi sulphurosi et destillationem aquae et acidi sulphurici contenta penitus in massam albam plane siccam redacta fuerint. Hanc tritam misce cum

Natrii chlorati sicci pari pondere.

Dein e retorta vitrea, collo amplo instructa, ad tertiam tantum partem repleta et in arena collocata, cui excipulum sine luto junctum est, igne ab initio moderato, sed post expulsionem aquae et acidi hydrochlorati primo prodeuntium per gradus aucto, sublima. Sublimatum maxima cum praecautione collectum in vitris bene clausis cautissime serva.

Sit massa crystallina alba, ponderosa, in igne avolans, in aquae frigidae partibus sedecim, fervidae partibus tribus et spiritus vini rectificatissimi partibus duabus cum dimidia, nec non in partibus tribus aetheris solubilis.

Hydrargyrum biiodatum rubrum.

Mercurius iodatus ruber. Biiodetum Hydrargyri. Hydrargyrum periodatum.

R. **Hydrargyri bichlorati corrosivi unciam unam.**

Solve in

Aquae destillatae calidae unciis octodecim,

quibus filtratis sub continua agitatione admisce liquorem filtratum e

Kalii iodati drachmis decem

et

Aquae destillatae unciis quatuor

paratum. Sedimentum inde natum in filtro collige, aqua destillata probe ablue, sicca et cautissime in vasis bene clausis serva.

Sit pulvis laete coccineus, in igne plane volatilis, in spiritu vini rectificatissimo, sed non in aqua solubilis.

Hydrargyrum chloratum mite.

Hydrargyrum muriaticum mite. Mercurius dulcis. Calomel. Chloretum Hydrargyri.

R. **Hydrargyri bichlorati corrosivi libram unam.**

In mortario vitreo aut lapideo caute et quidem **Spiritus Vini** aliquot guttas subinde inspergendo pulveratis adde

Hydrargyri depurati uncias novem.

Misce terendo, donec globuli hydrargyri penitus disparuerint. Mixta immitte in laguneulas vitreas quatuor ad tertiam usque partem tantum replendas aut in cucurbitam

vitream oblongam, epistomiis e creta confectis claudendas, et in balneo arenae igne primum moderato tum fortiori sublima.

Sublimatum inde obtentum contere et denuo sublima, quo facto in pulverem subtilissimum laevigatione redactum affusa

Aqua destillata frigida

edulcora, donec hydrargyrum bichloratum corrosivum forsitan immixtum solutum fuerit. Tum sicca et loco umbroso caute serva.

Sit pulvis e subflavo albus subtilissimus, ab hydrargyro bichlorato corrosivo omnino liber.

Hydrargyrum depuratum.

R. **Hydrargyri libram unam.**

Immitte in retortam satis capacem et adde **ramentorum Ferri tortorum sufficientem quantitatem.**

Tunc retortam in balneo arenae collocatam excipulo, eandem aquae copiam continenti, insere, ut orificium retortae ab aquae superficie durante operatione semper distet. Calore sensim aucto destillent **unciae undecim**, quae ab aqua separatae et siccatae per linteum perfundantur, et in vitro bene obturato serventur.

Hydrargyrum et Stibium sulphurata.

Hydrargyrum stibiato-sulphuratum. Aethiops antimonialis.

R. **Stibii sulphurati nigri laevigati,**
Hydrargyri sulphurati nigri, singulorum **uncias duas.**

Misceantur. Sit pulvis coloris e griseo nigri.

Hydrargyrum iodatum flavum.

Mercurius iodatus flavus. Hydrargyrum subiodatum. Iodetum hydrargyrosum.

R. **Hydrargyri depurati unciam dimidiam.**
Adde
Iodi drachmas duas et dimidiam.

In mortario lapideo, adspersis **Spiritus Vini rectificatissimi aliquot guttulis**, assidue contere, donec hydrargyrum disparuerit et mixta colorem e subviridi flavum induerint. Loco tepido exsicca et pulverem obtentum in vasis obscuratis a luce remotis cautissime serva.

Sit pulvis e subviridi flavus, in aqua et spiritu vini rectificatissimo non solubilis, ab hydrargyro biiodato rubro liber.

Hydrargyrum oxydatum rubrum.

Mercurius praecipitatus ruber. Oxydum hydrargyricum.

R. **Hydrargyri depurati libram unam.**
In cucurbita affunde
Acidi nitrici libram unam et dimidiam.

Calefiant donec hydrargyrum solutum sit. Dein effundatur liquor in patinam porcellanicam latioris fundi et evaporet ad siccum. Massam remanentem in pulverem tritam, interdum pistillo movendo, ure, usque dum vapores nitrosi avolare desierint, et pulvis refrigeratus colorem e flavo rubrum acquisiverit. Cucurbitae loco retorta, adaptato excipulo, adhiberi potest, et in eadem retorta liquor ad siccum evaporet ac massa sicca uratur. Tan-

dem laevigatione in pulverem subtilissimum redigatur, et in loco obscuro cautissime servetur.

Sit pulvis colore e rubro flavo et ab acido nitrico et hydrargyro metallico liber.

Hydrargyrum oxydulatum nigrum.

Mercurius solubilis Hahnemanni. Nitras ammonicus cum Oxydo hydrargyroso.

R. **Liquoris Hydrargyri nitrici** recenter parati **uncias novem et drachmas duas,**

Aquae destillatae libras duas.

Mixtis instilla inter continuam agitationem

Liquoris Ammoniaci caustici unciam dimidiam, antea dilutam cum

Aquae destillatae unciis quatuor.

Sedimentum statim filtro impone et in eo cum **Aquae destillatae unciis quinque** ablue, inter chartam bibulam preme, loco umbroso, calorem evitando, sicca et tritum in vase obturato denigratoque caute serva.

Sit pulvis nigerrimus.

Hydrargyrum sulphuratum nigrum.

Aethiops mineralis.

R. **Hydrargyri depurati,**

Sulphuris depurati partes aequales.

Mixta aqua humectata modico calore terantur, donec ab acido nitrico nil hydrargyri solvatur.

Sit pulvis coloris nigerrimi.

Ichthyocolla seu Colla piscium.

Hausenblase.

Acipenser Sturio, Acipenser stellatus et **Acipenser Huso L. Pisces cartilaginei.**

Lamellae tenues, planae, rarius in annulos convolutae, diaphanae, albidae, tenaces, odoris expertes, in aqua et spiritu vini diluto fere solubiles. Parantur ex intestinis et vesica natatoria Acipenserum supra dictorum in mari Caspico et fluvio Wolga degentium.

Indicum.

Indigo. Indigo.

Indigofera tinctoria L. nec non **I. Anil L.** et **aliae species Indigoferae. Leguminosae-Papilionaceae.**

Massa compacta, levis, friabilis, opaca, coerulea, ungue fricata aeneo colore nitens, in acido sulphurico concentrato colore coeruleo solubilis. E plantis supra dictis putrescentibus paratur et ex India occidentali praesertim advehitur. Praestat Indigo de Guatimala.

Infusum Sennae compositum.

Loco Aquae laxativae Viennensis.

R. **Foliorum Sennae concisorum unciam dimidiam.**
Affunde
Aquae communis fervidae uncias quatuor.

Sepone per semihoram, exprime et in colatura **unciarum trium et dimidiae** solve

Natro-Kali tartarici unciam dimidiam,
Mannae drachmas sex.

Denuo cola.

Sit coloris fusci.

Iodum.

Iodina. Jod. Jodine.

Squamulae nigrae, splendentes, ponderosae, odorem chlori spargentes, calefactae instar fumi violacei plane avolantes, in aqua vix, in spiritus vini rectificatissimi partibus decem solubiles et amylum colore coeruleo tingentes. Paratur in officinis chemicis e variis Fucoideorum praesertim Laminariae speciebus. Caute serva.

Kali aceticum.

Terra foliata Tartari. Acetas kalicus.

R. **Kali carbonici puri uncias sex,**
Aceti concentrati uncias sedecim, aut quantum ad neutralisationem requiritur.

Liquor in vase porcellanico in balneo vaporis calefiat, tum filtretur et inter agitationem leni calore (50 ad 60° C.) ad siccitatem usque evaporet. Massam salinam adhuc calidam in vas vitreum ingere, et in eo bene obturato serva.

Sit pulvis crystallinus, albissimus, fere neuter, in aquae partibus duabus, in spiritus vini rectificatissimi partibus quatuor solvendus, ab inquinamentis metallicis plane liber.

Kali carbonicum crudum.

Cineres clavellati. Carbonas kalicus crudus. Rohe Pottasche.

Massa salina compacta, in aëre deliquescens, albida, saporis lixiviosi, cum acidis effervescens. Constat e kali, acido carbonico et aqua, cum kali sulphurico, kalio chlorato, terra silicea et alumina nec non oxydis metallicis mixta. Contineat minimum 70 p. C. kali carbonici puri. In variis locis, tam Europae, quam Americae borealis e cineribus lignorum paratur.

Kali carbonicum depuratum.

Kali carbonicum e cineribus clavellatis. Carbonas kalicus e cineribus clavellatis.

R. **Kali carbonici crudi partem unam.**

Infunde

Aquae communis frigidae partes duas.

Sepone per aliquod tempus sedulo agitando. Liquor filtratus in lebete ferreo polito ad siccum evaporet, tum in

Aquae communis frigidae quantitate aequali

solvatur et solutus filtratusque ad siccum evaporet.

Massam salinam adhuc calidam in vas vitreum calefactum ingere et in eo bene obturato serva.

Sit pulvis crassus, albissimus, a terra silicea ac alumina, nec non a salibus heterogeneis et metallis, quantum fieri potest, liber.

Kali carbonicum purum.

Kali carbonicum e Tartaro. Alkali vegetabile aëratum. Sal Tartari. Carbonas kalicus e Tartaro.

R. Tartari depurati pulverati libras tres,

Kali nitrici depurati pulverati libram unam cum dimidia.

Seorsim bene siccata misce, et in sartaginem ferream satis amplam eo modo ingere, ut formam conicam referant. Tum ope prunae mixta versus coni cacumen incende et detonatione peracta vide, ne particula ulla a flamma remaneat intacta. Massae carbonaceae inde exortae et penitus refrigeratae affunde

Aquae destillatae frigidae libras duas

et sepone, subinde agitando, per aliquod tempus. Tum filtra sine elutione et liquorem coloris expertem in vase ferreo polito evaporatione ad siccum redige. Residuum adhuc calens contritum statim in vas vitreum calefactum immitte et in eo bene clauso serva.

Sit pulvis crassus, albissimus, in aëre facile deliquescens, in aquae partibus aequalibus solubilis, a kalio chlorato et alumina quantum fieri potest, a metallis, excepta minima copia ferri, plane liber.

Kali chloricum crudum.

Kali muriaticum oxygenatum crudum. Kali oxymuriaticum crudum. Chloras kalicus crudus. Rohes oxydirt-salzsaures Kali.

Sal in crystallis lamellosis, albis, splendentibus, in

aquae frigidae sedecim et fervidae duabus partibus solvendus, cum sulphure calefactus aut percussus detonans. Constat e kali et acido chlorico, kalio chlorato plus minusve mixtus est. Paratur in officinis chemicis.

Kali chloricum depuratum.

Kali muriaticum oxygenatum seu oxymuriaticum depuratum. Chloras kalicus depuratus.

R. **Kali chlorici crudi quantum vis.**

Solve in

Aquae destillatae fervidae quantitate sufficiente.

Liquorem ferventem filtra et in crystallos redige, quas bene elotas et siccatas serva.

Sint crystalli candidae, nitidae, a kalio chlorato, quantum fieri potest, liberae.

Kali hydricum fusum.

Kali causticum fusum. Hydras kalicus fusus. Lapis causticus Chirurgorum.

Liquor Kali hydrici recenter paratus celeriter evaporet in vase argenteo, quod tam diu igni exponatur, donec massa instar olei fluat. Tum in modulum tepefactum effunde et bacillos fere refrigeratos statimque in vas bene claudendum immissos serva.

Sit album.

Kali hydricum siccum.

Kali causticum siccum. Alkali causticum. Hydras kalicus.

Liquor Kali hydrici recenter paratus in vase argenteo celeriter evaporet, donec gutta in metallum frigidum demissa perfecte concrescat. Tum leniori igne, spathula argentea continuo agitando, in pulverem crassum redige, quem adhuc calidum in vas calefactum immitte, ac in eo bene obturato serva.

Sit pulvis albus, ab acido carbonico, a salibus heterogeneis, silicia et alumina, quantum fieri potest, liber.

Kali nitricum crudum.

Nitrum crudum. Nitras kalicus crudus. Roher Salpeter.

Sal in crystallis prismaticis, albidis, in aquae frigidae partibus quatuor, fervidae parte dimidia solubilis, prunis injectus deflagrans, saporis subacris cum sensu frigoris in ore conjuncti. Constat e kali et acido nitrico, variis heterogeneis praesertim natrio et kalio chloratis mixtis. Paratur in officinis nitrariis, praesertim vero ex India orientali advehitur.

Kali nitricum depuratum.

Nitrum depuratum. Nitras kalicus depuratus.

Paretur e **Kali nitrico crudo** uti Kali chloricum depuratum. Sint crystalli albae, a natrio et kalio chloratis, quantum fieri potest, liberae.

Kali stibicum.

Stibium oxydatum album. Antimonium diaphoreticum ablutum.

R. **Stibii** subtilissime pulverati **partem unam,**
Kali nitrici depurati pulverati **partes duas.**

Misce exacte et portiunculam in crucibulum candescens injice, qua oxydata novam portiunculam immitte idque repete, usque dum crucibulum fere repletum fuerit. Tum operculum impone et massam per horam dimidiam circiter candescentem in igne retine.

Materiam pultiformem exemtam adhuc calidam in vas porcellanicum, **Aquam communem** continens, providenter ingere, ut dilabatur. Sedimentum elutriatum edulcoretur, quam diu in aqua defluente kali nitricum et nitrosum reperiuntur, tum filtratione separetur et calore 40° C. non superante siccetur, tandem in pulverem redigatur et in vasis bene clausis servetur.

Sit pulvis albus, odoris et saporis expers, a kali nitrico et nitroso liber.

Kali sulphuricum crudum.

Tartarus vitriolatus crudus. Arcanum duplicatum crudum. Sulphas kalicus crudus. Rohes schwefelsaures Kali.

Sal neuter in crystallis cohaerentibus duris, albis, sapore amaricante, in aquae frigidae sedecim, fervidae quatuor partibus, sed non in spiritu vini rectificatissimo

solubilis, in aëre non humescens nec fatiscens. Constat e kali et acido sulphurico, natroque sulphurico plus minusve mixtus est. Paratur in officinis chemicis et rejiciatur, qui metallis inquinatus sit.

Kali sulphuricum depuratum.

Tartarus vitriolatus depuratus. Arcanum duplicatum depuratum. Sulphas kalicus depuratus.

Paretur e **Kali sulphurico crudo** uti Kali chloricum depuratum.

Sit album, a natro sulphurico liberum.

Kali tartaricum.

Tartarus tartarisatus. Tartras kalicus.

R. **Kali carbonici depurati libras duas,**

Tartari depurati a calcaria tartarica liberati **libras quatuor et dimidiam.**

Seorsim immitte paullatim in

Aquae communis fervidae libras sex.

Si post effervescentiam solutum non sit alkalinum, **tantum Kali carbonici depurati** addatur, ut paullum praevaleat. Tum liquor filtratus in crystallos redigatur. Crystalli collectae siccatae serventur.

Sint crystalli albae, pellucidae, ab inquinamentis metallicis plane et salibus heterogeneis, quantum fieri potest, liberae.

Kalium iodatum.

Kali hydroiodicum. Iodetum kalicum.

R. **Iodi uncias sex,**
Ferri limati uncias duas.
Infunde
Aquae destillatae uncias triginta sex.
In patina porcellanica calefiant ad 40 ad 50° C. et in eadem temperatura permaneant, saepius agitando, donec liquor initio fuscus decolor evaserit. Tum filtretur, ferrum non solutum bene abluatur, liquor filtratus in eandem patinam remittatur et in ipso
Iodi unciae duae
solvantur. Cui calefacto sensim
Kali carbonici puri uncias quinque
in **Aqua destillata** solutas aut tantum affunde, ut ferrum oxydulato-oxydatum plane praecipitetur. Mixta per horam in temperatura 100° C. repone, postea in filtrum immitte, sedulo ablue et liquori filtrato tantum
Acidi hydroiodati
admisce, ut perfecte neuter sit. Tandem in crystallos redigatur. Caute serva.

Sint crystalli cubicae, albae, nec acido nec kali adhaerentibus inquinatae, in tribus quadrantibus aquae et sex partibus spiritus vini rectificatissimi solubiles.

Acidum hydroiodatum usui supra dicto satis aptum hoc modo parari potest:

Kalii iodati et **Iodi** singulorum **unciam dimidiam** in **Aquae destillatae unciis quindecim** inter terendum solve. Liquori sub agitatione **Gas**

hydrosulphuratum immitte, donec liquor decoloratus fuerit, tum leni calori expone, ut gas istud penitus expellatur. Tandem refrigeratus filtretur.

Kalium sulphuratum.

Kali sulphuratum. Hepar Sulphuris salinum.

R. **Sulphuris depurati partem unam,**
Kali carbonici puri partes duas.

Mixta in crucibulo satis amplo et tecto leni igni exponantur, donec peracta effervescentia in massam homogeneam coeant, quam in laminam ferream, aut mortarium ferreum effunde. Massam frigefactam in pulverem crassum redige, statim in vas bene claudendum ingere et serva.

Sit coloris e subviridi flavi, in partibus duabus aquae destillatae plane solubile.

Kalium sulphuratum pro balneo.

Kali sulphuratum pro balneo. Hepar Sulphuris pro balneo.

R. **Sulphuris sublimati partem unam,**
Kali carbonici crudi siccati partes duas.

Eodem modo, quo kalium sulphuratum, paretur, nisi quod sartaginem ferream adhibere liceat. Servetur in vase bene claudendo.

Sit coloris e flavo viridis, in aqua destillata non penitus solubile.

Kino.

Kino.

Pterocarpus erinaceus Lam. Pt. senegalensis Hocker. Leguminosae-Papilionaceae.

Frusta parva, angulata, friabilia, ex rubro nigra, tritura rubra, splendentia, non diaphana, saporis adstringentis, masticata salivam colore rubro tingentia, in aqua et spiritu vini rectificatissimo solubilia. Est succus induratus arboris in Senegambia crescentis, unde ad nos adfertur.

Kreosotum.

Kreosot.

Liquor decolor aut subflavus, limpidus, olei aetherei similis, aqua paullulo gravior, odoris gravis, saporis acerrimi. In aquae partibus octoginta solvitur, in spiritus vini rectificatissimi autem qualibet quantitate. Solutus in liquore kali hydrici aqua admixta ne turbetur. Caute servetur.

Lichen Islandicus.

Isländisches Moos (Flechte).

Cetraria islandica Acharii. Lichenosae.

Thallus erectus, foliaceus, varie laciniatus, fimbriatus, siccus saepe canaliculatus, superne fuscus, inferne albidus, saepe maculis sanguinolentis infectus, sapore amaro mucilaginoso. Crescit in montibus altissimis Silesiae, Thuringiae et silvae Hercyniae ibique colligitur.

Lignum Guajaci.

Lignum sanctum. Guajakholz. Pockholz. Franzosenholz.

Guajacum officinale L. Zygophylleae.

Lignum ponderosum, compactum, durum, versus medullam e subviridi fuscum, alburno luteolo, leviori. Rasura, quae vulgo prostat, frustulis albis, e lignis heterogeneis ortis, ne nimis sit mixta. Advehitur lignum ex insulis Indiae occidentalis.

Lignum Quassiae.

Quassienholz.

Quassia amara? L. Simarubeae.

Lignum albicans, leve, in fustibus 2 ad 3 pollices crassis, striatis, saporis peramari. Arbor, ut ferunt, in Surinamo indigena. Lignum raspatum venale ne adhibeatur.

Lignum Sassafras.

Sassafrasholz.

Laurus Sassafras L. Sassafras officinalis Nees ab E. Laurineae.

Radix magna, ramosa, in frustis majoribus minoribusve venalis, levibus rugosis, griseo-ferrugineis, cortice exteriore suberoso, rubiginoso, interiore fibroso, rubro, ligno molli ex annulis compacto, extrorsum fuscis, introrsum pallidioribus, saporis subdulcis, odoris foeniculacei.

In America boreali crescit arbor, unde lignum ad nos advehitur.

•

Linimentum Aeruginis.

Oxymel Aeruginis.

R. **Aeruginis** pulveratae **uncias tres,**
Aceti crudi libras duas.
Coque donec Aceti tertia circiter pars supersit.
Filtra et adde
Mellis depurati libras duas.

Evaporent ad libras duas. Serva in vase bene clauso, sed, quod diutius asservatum nimiam cupri oxydulati copiam dimisit, rejice.

Sit coloris fusci, cupro oxydulato plus minusve turbidum.

Linimentum ammoniacatum.

Linimentum ammoniatum. Linimentum volatile.

R. **Olei Olivarum Provincialis uncias quatuor,**
Liquoris Ammoniaci caustici unciam unam.
Agitentur in vase vitreo, donec perfecte coeant.
Sit subfluidum, neve sepositum separetur.

Linimentum saponato-ammoniacatum.

Linimentum saponato-ammoniatum.

R. **Saponis domestici** rasi **unciam unam cum dimidia.**

Solve digerendo in

Aquae communis libris tribus cum dimidia,

Spiritus Vini rectificati libra una cum dimidia:

Horum solutorum partes tres misce cum

Liquoris Ammoniaci caustici parte una.

Servetur in vase bene clauso.

Linimentum saponato-camphoratum.

Balsamum Opodeldoc.

R. **Saponis medicati unciam unam cum dimidia,**

Camphorae unciam dimidiam,

Spiritus Vini rectificatissimi uncias viginti.

In cucurbitam immissa calefiant in balneo aquae et soluta adhuc calentia filtrentur. Tum adde

Olei Thymi drachmam dimidiam,

» **Rosmarini drachmam unam,**

Liquoris Ammoniaci caustici unciam unam.

Liquor in vase bene clauso iterum calefactus, statim effundatur in vasa vitrea, quae bene clausa in aqua frigida quam citissime refrigerentur.

Sit ex albido subflavum, subdiaphanum et opalescens, ne nimis durum, manus calore facile liquescens.

Liquor Ammoniaci acetici.

Liquor Ammonii acetici. Liquor Acetatis ammonici.

R. **Liquoris Ammoniaci caustici uncias decem.**

Adde

Aceti concentrati uncias tredecim seu quantum ad neutralisationem requiritur.

Tum admisce

Aquae destillatae uncias septem, aut tantum, ut sit pond. spec. = 1,035.

In vasis bene obturatis serva.

Sit limpidus, coloris expers, plane volatilis et quantum obtineri potest neuter.

Continet 15 partes ammoniaci acetici in 100 partibus.

Liquor Ammoniaci anisatus.

Liquor Ammonii anisatus. Spiritus Salis ammoniaci anisatus.

R. **Spiritus Vini rectificatissimi uncias duodecim,**
Olei Anisi drachmas tres.

Solutis adde

Liquoris Ammoniaci caustici uncias tres.

Serva in vasis epistomiis vitreis bene clausis.

Sit limpidus, subflavus.

Liquor Ammoniaci carbonici.

Liquor Ammonii carbonici. Spiritus Salis ammoniaci aquosus. Liquor Carbonatis ammonici.

R. **Ammoniaci carbonici unciam unam.**

Solve in

Aquae destillatae unciis quinque

et filtra. In vase epistomio vitreo bene clauso serva.

Sit limpidus, coloris expers, plane volatilis, pond. spec. = 1,070 usque ad 1,075.

Liquor Ammoniaci carbonici pyro-oleosi.

Liquor Ammonii carbonici pyro-oleosi. Spiritus Cornu Cervi rectificatus. Liquor Carbonatis ammonici cum oleo empyreumatico.

R. **Ammoniaci carbonici pyro-oleosi unciam unam.**
Solve in
Aquae destillatae unciis quinque.

Reponatur per aliquot dies, filtretur et in vasis epistomiis vitreis clausis servetur.

Sit limpidus, subfuscus, plane volatilis, pond. spec. = 1,065 usque ad 1,070.

Liquor Ammoniaci caustici.

Liquor Ammonii caustici. Spiritus Salis ammoniaci causticus.

R. **Calcariae libras tres.** Sensim adde
Aquae communis libras decem,
ut fiat massa subfluida, lactis instar, quam refrigeratam in cucurbitam immitte et adde
Ammoniaci hydrochlorati pulverati **libras tres.**

Adaptetur orificio cucurbitae in balneo arenae collocatae, ope gummi elastici, tubus vitreus curvatus, qui in lagenam intermediam, tribus aperturis praeditam et aquae unciarum viginti capacem, ad fundum usque porrigatur. Haec lagena tubo recto, fundum fere tangente et extremitate altera aperto, instructa sit, et per tertium tubum sed curvatum lagena cum excipulo librarum octo aquae

capaci eo modo jungatur, ut tubus excipuli fundum tangat. Lagena intermedia contineat

Aquae communis uncias quatuor,

excipulum vero

Aquae destillatae libras sex ad septem.

Juncturis bene clausis fiat leni igne extricatio gasis, excipulum bene refrigerando. Liquor in excipulo collectus cum ea copia **Aquae destillatae** misceatur, ut pond. specif. sit = 0,960.

In vasis epistomiis vitreis clausis servetur.

Sit limpidus, coloris expers, odoris non empyreumatici, plane volatilis, ab acido carbonico, quantum fieri potest, liber et ponderis specifici supra dicti.

Continet 10 partes ammoniaci anhydri in 100 partibus.

Liquor Ammoniaci succinici.

Liquor Ammonii succinici. Liquor Cornu Cervi succinatus. Liquor Succinatis ammonici.

R. **Acidi succinici** pulverati **unciam unam.**

Admisce terendo

Olei Succini rectificati scrupulum unum.

Solve in

Aquae destillatae unciis octo

et adde

Ammoniaci carbonici pyro-oleosi unciam unam

seu quantum ad neutralisationem requiritur.

Reponantur per viginti quatuor horas. Liquorem filtratum in vasis bene obturatis serva. Sit limpidus, subfuscus et plane volatilis. Pond. spec. = 1,050 usque ad 1,055.

Liquor Chlori.

Aqua oxymuriatica. Acidum muriaticum oxygenatum.

R. **Acidi hydrochlorati uncias tredecim,**
Aquae communis,
Mangani oxydati nativi pulverati, singulorum **uncias quatuor.**

Immitte in cucurbitam vitream. Jungatur orificio tubus vitreus curvatus in lagenam porrectus, **Aquae destillatae** pro usu interno aut **fontanae** pro usu externo **libras novem** et **uncias quatuor** continentem, ita ut orificium tubi ad fundum lagenae usque, quae aperta maneat, aquae sit immersum.

Loco idoneo aut sub divo cucurbita leni calori exponatur, donec omne gas lente expulsum fuerit.

Liquorem exinde obtentum loco obscuro in lagunculis repletis et epistomio vitreo obturatis serva.

Sit limpidus, coloris e viridi subflavi, et chartam tinctura Lacmus imbutam statim decolorem reddat.

Liquor Ferri acetici.

R. **Liquoris Ferri sesquichlorati uncias sex,**
Aquae destillatae libras sex.

Subito adde inter agitationem

Liquoris Ammoniaci caustici uncias decem aut **tantum**, ut Ammoniacum praevaleat.

Praecipitatum in linteo collectum et bene elotum leniter preme, tum linteum charta bibula involvatur, pressio autem repetatur, quamdiu charta inde humescat.

Massam ponderis unciarum quatuor, vel unciarum quatuor et dimidiae, statim in lagenam ingere et affunde

Aceti concentrati uncias septem,

vas interdum agitando, donec quantulacunque ferri oxydati portiuncula non soluta remaneat, tum per linteum cola. Serva in vase clauso.

Sit coloris e rubro fusci, pond. spec. = 1,140 usque ad 1,145. Continet 8 partes ferri, aut 11,43 ferri oxydati in 100 partibus.

Liquor Ferri chlorati.

Liquor Ferri muriatici oxydulati. Liquor Chloreti ferrosi.

R. **Ferri in filis uncias duas.**

Immitte in lagenam satis amplam et adde

Acidi hydrochlorati uncias decem,

Aquae destillatae uncias quinque.

Lagena per viginti quatuor horas loco tepido, subinde agitando, reponatur, tum liquor a ferro non soluto filtratione accelerata separetur, et additis

Acidi hydrochlorati guttis decem

in vasis unciarum duarum capacibus bene clausis servetur.

Sit limpidus, coloris viridis, pond. spec. = 1,250 usque ad 1,255. Continet 10,8 partes ferri in 100 partibus.

Liquor Ferri sesquichlorati.

Liquor Ferri muriatici oxydati. Liquor Chloreti ferrici.

R. **Liquoris Ferri chlorati uncias duodecim,**

Acidi hydrochlorati uncias tres.

Calefactis in vase porcellanico sensim adde

Acidi nitrici uncias tres et dimidiam, aut tantum, ut guttula hujus liquoris Ferro-Kali cyanato rubro soluto dilutoque immissa colorem nec viridem nec coeruleum producat.

Liquor leni calore evaporet, usque dum massa frigore concrescat, quae in **Aquae destillatae unciis sex** solvatur, addendo **Acidi hydrochlorati** quantum ad separati solutionem, calore adjuvante, requiritur. Tum solutum ad **uncias sex** evaporet et **Aquae destillatae uncia una cum dimidia** aut tantum addatur, ut pond. spec. sit = 1,535 usque ad 1,540. Filtretur et servetur in vase epistomio vitreo obturando.

Sit coloris e croceo fusci, a ferro chlorato et nitrico liber et ponderis specifici supradicti.

Continet 16,66 partes ferri in 100 partibus.

Liquor Hydrargyri bichlorati corrosivi.

Liquor Hydrargyri muriatici corrosivi.

R. **Hydrargyri bichlorati corrosivi,**
Ammoniaci hydrochlorati depurati, singulorum grana viginti quatuor.

Solve in

Aquae destillatae libris duabus.

Filtra et cautissime serva.

Sit limpidus, coloris expers.

Liquor Hydrargyri nitrici.

Liquor Hydrargyri nitrici oxydulati. Mercurius nitrosus. Liquor Nitratis hydrargyrosi.

R. **Hydrargyri depurati uncias quatuor.**

Immissis in patinam porcellanicam affunde

Acidi nitrici uncias quatuor,

tum loco non calido per nychthemerum repone.

Crystallos exortas separa, parva **quantitate Aquae,** cui **pars vigesima Acidi nitrici** admixta est, ablue et inter chartam bibulam calorem evitando bene sicca.

Harum crystallorum unciam unam solve in

Aquae destillatae unciis octo, quibus

Acidi nitrici scrupuli tres cum dimidio

admixti sunt, filtra, et si opus fuerit **tantum Aquae destillatae** adde, ut pondus specificum sit = 1,100. In vase bene clauso cautissime serva.

Sit limpidus, ab hydrargyro oxydato nitrico liber.

Liquor Kali acetici.

Liquor Terrae foliatae Tartari. Liquor Acetatis kalici.

R. **Kali carbonici puri uncias quinque,**

Aceti concentrati uncias tredecim aut quantum ad neutralisationem requiritur.

Liquor incalescat, tum filtretur et **tantum Aquae destillatae** affundatur, ut pondus totius sit **unciarum octodecim.** Sit limpidus, coloris expers, ponderis specifici = 1,175 usque ad 1,180. Continet 33,3 partes kali acetici in 100 partibus.

Liquor Kali carbonici.

Oleum Tartari per deliquium. Liquor Carbonatis kalici.

R. Kali carbonici puri optime siccati libram unam.
Solve in
Aquae destillatae libris duabus
et filtra.

Sit limpidus, coloris expers, ponderis specifici = 1,330 usque ad 1,335.

Liquor Kali hydrici.

Liquor Kali caustici. Lixivium causticum. Liquor Hydratis kalici.

R. **Kali carbonici depurati libras duas.**
In vas ferreum immissis affunde
Aquae communis fervidae decuplum.
Coque, paullatim ingerendo
Calcariae recenter **paratae libram unam**, cum partibus **tribus Aquae communis** ad pultem paullum liquidam redactam,
usque dum liquoris limpidi portiuncula exemta acido hydrochlorato affusa non effervescat. Liquor in lagenas vitreas obturandas immissus, postquam subsiderit, decantetur et evaporet, donec ejus **unciae quatuor** compleant vas, quod capax foret **unciarum trium Aquae destillatae.**

In lagenis vitreis epistomiis vitreis obturatis serva.

Sit limpidus, coloris expers aut paullulum subflavus, ab acido carbonico, quantum fieri potest, liber.

Pondus specificum = 1,335 usque ad 1,340.

Liquor Myrrhae.

Loco Liquaminis Myrrhae.

R. **Extracti Myrrhae unciam unam.**
Solve in
Aquae destillatae unciis quinque.
Liquorem post decantationem cola.
Sit coloris e fusco flavi, turbidusque.

Liquor Natri hydrici.

Liquor Natri caustici. Liquor Hydratis natrici.

Paretur uti Liquor Kali hydrici, nisi quod **Natri carbonici crudi librae quatuor, Aquae communis librae viginti** et **Calcariae recenter paratae libra una** sumantur.

Sit ejusdem indolis ac liquor kali hydrici eodemque modo servetur.

Liquor Plumbi hydrico-acetici.

Acetum plumbicum. Acetum saturninum. Liquor Plumbi acetici basici.

R. **Plumbi acetici depurati uncias sex.**
Misce terendo exacte cum
Lithargyri antea igniti et laevigati **unciis duabus.**
In lagenam immitte et sensim adde
Aquae destillatae uncias viginti,
ut vas repleatur, quod clausum repone, sedulo agitando, donec sedimentum albescat et fere solutum sit. Tum filtra et caute serva.

Sit liquor limpidus, coloris expers, a cupro liber, et addita mucilagine gummi Arabici fiat coagulatio.

Pondus specificum = 1,235 usque ad 1,240.

Liquor Stibii chlorati.

Liquor Stibii muriatici. Butyrum Antimonii. Liquor Chloreti stibici.

R. **Stibii sulphurati nigri pulverati libram unam.**

In cucurbitam vitream satis amplam immitte et affunde

Acidi hydrochlorati crudi libras quatuor.

Sub divo calefiant, donec omnis evolutio gasis cessaverit. Solutum refrigeretur, filtretur et evaporatione sub divo ad **libram unam cum dimidia** redigatur. Liquori refrigerato adde mixturam ex

Acidi hydrochlorati unciis novem et

Aquae destillatae libra una et dimidia

paratam, aut hujus mixturae tantum, ut liquori post filtrationem sit pondus specificum = 1,345 usque ad 1,350.

In vase epistomio vitreo munito caute serva.

Sit limpidus, subflavus et cum aqua mixtus praecipitatum copiosum album praebeat.

Lithargyrum.

Oxydum plumbicum semifusum. Bleiglätte.

Squamulae flavo-rubrae, nitidae, ponderosae, e plumbo et oxygenio constantes. Cupro ne sint inquinatae. Paratur Lithargyrum in officinis metallicis et Anglicum praeferendum. Caute servetur.

Macis.

Muskatblüthe.

Myristica moschata Thunb. Myristiceae.

Arilli nucis, coloris e cinnamomeo fusci, odoris fragrantis et saporis valde aromatici. Advehitur ex India orientali, praesertim ex insulis Moluccanis.

Magnesia hydrico-carbonica.

Magnesia carbonica. Carbonas magnesicus cum Aqua et Hydrate magnesico. Kohlensaure Bittererde. Magnesia.

Massae cohaerentes, valde friabiles, levissimae, albae, in aqua fere indissolubiles, e magnesia carbonica, magnesia hydrica et aqua constantes. Ne sit inquinata calcaria, kali natrove, nec metallis. Paratur in officinis chemicis.

Dispensetur trita et per cribrum trajecta.

Magnesia sulphurica cruda.

Sal amarum crudum. Sulphas magnesicus cum Aqua crudus. Rohes Bittersalz.

Sal in crystallulis prismaticis, splendentibus, albis, in aquae frigidae partibus tribus, fervidae parte una et dimidia solubilis, in aëre paullum fatiscens, saporis amari, e magnesia, acido sulphurico et aqua constans. Rejiciatur, qui metallis aut natro sulphurico inquinatus est.

Paratur in officinis chemicis.

Magnesia sulphurica depurata.

Sal amarum depuratum. Sulphas magnesicus cum Aqua depuratus.

Paretur e **Magnesia sulphurica cruda** uti Kali chloricum depuratum.

Sint crystalli albae, a calcaria et kali, liberae.

Magnesia usta.

Magnesia. Oxydum magnesicum.

Magnesia carbonica in crucibulo tecto igne fortiori uratur, donec particula, cum aqua mixta, acido sulphurico diluto addito, nullam producat effervescentiam. Refrigerata in vase vitreo, bene obturato servetur.

Sit pulvis levissimus, albissimus, ab acido carbonico plane liber.

Manganum oxydatum nativum.

Manganesium. Superoxydum manganicum. Graubraunsteinerz. Braunstein.

Minerale compactum aut radiosum, subsplendens, e cinereo nigrum, valde inquinans, ponderosum, e mangano et oxygenio constans, variis heterogeneis terreis, praesertim calcaria carbonica, mixtum. Ex metallifodinis propriis eruitur.

Manna.

Manna.

Ornus europaea Pers. et rotundifolia Aiton. Oleineae.

Succus induratus, si purus est albus, in frustulis canaliculatis aut friabilibus irregularibus, saporis dulcis, in aquae partibus tribus, in spiritu vini rectificatissimo calido partim solvendus. Simul quoque occurrit in massis conglobatis e fusco et flavo variegatis, calore manus emolliendis et subviscidis, cum frustulis albis plus minusve saepe mixtis. Quae in frustulis canaliculatis prostat dispensetur, si Manna electa aut cannellata praescripta fuerit. Obtinetur e trunco et ramis sauciatis Ornorum supra dictarum, praesertim insertione cultarum in Calabria et Sicilia.

Mastiche.

Mastix.

Pistacia Lentiscus L. Terebinthaceae.

Resina in frustulis subglobosis, friabilibus, parvis, subpellucidis, superficie pulverulenta, impolita, fractura splendente, coloris ex albido citrini, sub masticatione tenacibus, albis, opacis, in spiritu vini rectificatissimo pro maxima parte solubilibus. Frutex spontaneus frequens in tota Europa australi, resina exsudat ex arbusculis in insula Chio singulari modo cultis.

Mel.

Honig.

Apis mellifica L. Insecta Hymenoptera.

Cave ne farina adulteratum sit. Rejiciatur quod ex America ad nos adfertur.

Mel depuratum.

Mel despumatum.

R. **Mellis libras octo,**
Aquae communis libras sedecim.

Mixta in vase stanneo ad gradus 100 C. circiter per horam ebullitionem evitando calefiant, quo facto in vase fictili per noctem loco frigido reponantur. Tum adde

Carbonum vegetabilium grosso modo pulveratorum **uncias duas**

et liquor per manicam filtratus in balneo vaporis calore 75 ad 85^0 C. ad syrupi spissitudinem evaporet et coletur. Serva loco frigido.

Sit limpidum et cum aqua mixtum limpidum maneat, e flavo fuscum, nec odoris nec saporis empyreumatici acidive.

Mel rosatum.

R. **Florum Rosarum incarnatarum uncias octo.**

Affunde

Aquae communis fervidae libras quatuor.

Seponantur per noctem, tum exprime et cola. Liquor inde obtentus cum

Mellis depurati libris octo
mixtus in balneo vaporis calore 75 ad 85° C. ad syrupi spissitudinem evaporet et coletur. Serva loco frigido.

Sit limpidum, coloris fusci, nec odoris nec saporis empyreumatici.

Minium.

Mennige.

Pulvis ponderosus, coloris ex aurantiaco rubri, e plumbo et oxygenio constans. Paratur in officinis chemicis. Caute serva. Ne sit cupro inquinatum.

Mixtura oleoso-balsamica.

Loco Balsami Vitae Hoffmanni.

R. **Olei Lavandulae,**
» **Caryophyllorum,**
» **Cinnamomi,**
» **Thymi,**
» **Corticis Citri,**
» **Macidis,**
» **Florum Aurantii,** singulorum **scrupulum unum,**
Balsami Peruviani drachmam unam,
Spiritus Vini rectificatissimi uncias decem.

Sepone per aliquot dies loco frigido, subinde agitando, tum filtra et in vase bene clauso serva.

Sit limpida, e subfusco flava.

Mixtura sulphurica acida.

Mixtura sulphurico - acida. Loco Elixirii acidi Halleri.

R. **Spiritus Vini rectificatissimi uncias tres.**

Paullatim instilla

Acidi sulphurici rectificati unciam unam.

Serva in vase epistomio vitreo munito.

Sit limpida, coloris expers, ponderis spec. = 1,005 usque ad 1,010.

Mixtura vulneraria acida.

Aqua vulneraria Thedeni.

R. **Aceti crudi libras tres,**
Spiritus Vini rectificati libram unam cum dimidia,
Acidi sulphurici diluti uncias sex,
Mellis depurati libram unam.

Mixta filtra et serva.

Sit limpida, flava, tempore fuscescens.

Morphium.

Morphinum.

R. **Opii in taleolas tenuissimas concisi libras duas.**

Infunde

Aquae communis libras sex.

Macera per nychthemerum, interdum agitando, et exprime, quae operatio, additis **libris quatuor Aquae communis** residuo, bis terve repetatur. Liquores omnes obtenti in balneo vaporis (65 ad 75° C.), paullatim addendo

Marmoris subtilissime pulverati **uncias tres**, evaporent, interdum agitando, ad extracti spissioris densitatem. Refrigeratum solvatur in **Aquae communis libris sex**, solutum filtretur et in balneo vaporis ad **libram** circiter **unam et dimidiam** evaporatione diminuatur. Huic liquori adhuc calenti adde **Calcii chlorati** sicci **unciam unam** cum **dimidia** in **Aquae destillatae unciis tribus** solutam et filtratam. Tum admisce **Acidi hydrochlorati drachmas duas** et bene mixta sepone per dies quatuordecim. Massam crystallinam inde exortam inter linteum fortiter preme, exemtam cum **Aquae destillatae parva copia** in pultem converte, denuo preme et hanc operationem repete. Residuum pressionibus obtentum in **Aquae destillatae fervidae quantitate sufficiente** solvatur, solutum filtretur et seponatur, ut in massam crystallinam concrescat. Hanc inter linteum preme, liquorem expressum evaporatione diminue et in crystallos redige, quas itidem inter linteum preme. Massae crystallinae siccae tritaeque **unciae tres** in cucurbitam immittantur et **Spiritus Vini rectificatissimi librae tres** affundantur. Mixta in balneo vaporis ad promovendam solutionem calefiant, solutis **Carbonum ossium** ope acidi hydrochlorati depuratorum **unciae tres** addantur et liquor hoc modo decoloratus filtretur. Huic adhuc calenti admisce **Liquoris Ammoniaci caustici tantum**, ut Ammoniacum paullum praevaleat. Morphium post aliquot dies exortum in filtro collige, in eo parva copia **Spiritus Vini rectificati** ablue, sicca et in vitro obturato caute serva.

Lixivium, quod ex crystallisatione morphii relictum est, ad novam morphii praeparationem adhiberi potest.

Sint crystalli albae albidaeve, nitidae, aciculares, sapore amaro, in aqua frigida vix, in aqua fervida paullum, in spiritu vini rectificatissimo fervido facilius, non vero in aethere solubiles, ignitae sine residuo comburentes, a narcotino liberae.

Morphium aceticum.

Acetas morphicus.

R. **Aceti concentrati,**

Aquae destillatae, singulorum **unciam dimidiam.**

Mixtis et calefactis adde

Morphii unciam dimidiam, aut quantum solvitur.

Liquor filtratus temperatura 20 ad 25° C. ad siccum evaporet. Residuum in pulverem redactum in vasis bene clausis caute serva.

Sit pulvis albidus, saporis peramari, a variis heterogeneis immixtis praesertim a narcotino liber, in aqua facile solubilis, nisi acidum aceticum partim avolaverit, quo in casu **Aceti concentrati aliquot guttae** sunt addendae.

Moschus.

Moschus.

Moschus moschiferus L. Mammalia Bisulca.

Substantia animalis, unctuosa, granula referens e fusco nigricantia, trita in stratum tenue extenuanda, saporis amaricantis, odore peculiari diu persistente, fragrantissima, secreta et inclusa in folliculo semigloboso, altera parte convexo, altera fere plano, illa pilis, media in parte in verticem positis, obsita. Folliculi prope genitalia

maris Moschi moschiferi positi sunt, animalis in montibus Asiae mediae indigeni. Exsecantur inde vestigia ductus excretorii in altero latere conspicua, et siccati ad nos advehuntur.

Eligendus Moschus Tunquinensis, e regno Tibetano et Chinensi allatus, cujus folliculi, magnitudinem ovi gallinacei et minorem adaequantes, extus pilis brevibus, rigidis, plerumque subfuscis obsiti, intus membrana tenui fusca vestiti sunt. Plane rejiciatur Moschus Cabardinicus in folliculis majoribus, magnitudinem ovi gallinacei superantibus, semper pilis longioribus albo-cinereis obsitis, nec non Moschus ex vesicis dictus, folliculis exemtus.

Mucilago Cydoniae.

R. **Seminis Cydoniae** non contusi **drachmam unam.**
Affunde
Aquae Rosarum uncias octo.
Stent per aliquot horas, interdum agitando, tum cola.

Mucilago Gummi Arabici.

R. **Gummi Arabici partem unam.** Solve in
Aquae destillatae partibus tribus.
Cola.

Mucilago Salep.

R. **Radicis Salep** subtilissime pulveratae **drachmam unam.**

Immitte in lagenam et affunde

Aquae communis frigidae uncias duas.

Agitando bene mixtis adde

Aquae communis fervidae uncias decem,

quo facto mixta in vase conquassentur, donec frigefacta sint.

Myrrha.

Myrrhe.

Amyris Kataf Forsk. Balsamodendron Myrrha Ehrenb. Nees ab E. Burseraceae.

Gummi-resina in frustis nucis avellanae aut juglandis magnitudinem exaequantibus, friabilis, subpellucida, e rubro fusca, subinde maculis parvis albis immixtis, pinguinitens, saporis amari et aromatici, odoris peculiaris. Flammae admota non liquatur, sed statim deflagrat. Pro majore parte in aqua solutione flavo-fusca, turbida, pro minore parte in spiritu vini rectificatissimo solutione flavo-fusca, limpida solvitur. Est succus e cortice fruticis supra dicti exsudans, qui induratus ex Arabia ad nos adfertur.

Natrium chloratum.

Natrum muriaticum. Sal culinare. Chloretum Natrii. Salzsaures Natron. Kochsalz.

Aëri expositum ne nimis humescat.

Natro-Kali tartaricum.

Tartarus natronatus. Sal polychrestum Seignetti. Tartras kalico-natricus cum Aqua.

R. **Natri carbonici depurati libras quatuor.**
Solve in
Aquae communis fervidae libris viginti quatuor.
Liquori ebullienti sensim adde
Tartari depurati a Calcaria tartarica liberati **libras** quinque aut **tantum**, ut Natrum fere neutralisetur.

Solutum filtratumque in crystallos redige, quae collectae et ablutae siccentur.

Sint crystalli magnae, albae, diaphanae, in aquae partibus duabus solubiles, saporis mitis salsi, ab inquinamentis metallicis liberae.

Natrum aceticum.

Terra foliata Tartari crystallisata. Acetas natricus cum Aqua.

R. **Aceti crudi** coloris expertis **libras triginta.** Adde
Natri carbonici crudi libras quatuor aut **quantum** requiritur, ut Natrum paullum praevaleat.

Liquor evaporatione concentratus et filtratus in crystallos redigatur. Liquor remanens evaporet, quamdiu crystalli paullum coloratae obtinentur. Qui nunc superest liquor, evaporatione ad siccum et liquatione, dein solutione in aqua et crystallisatione iterum in usum verti potest. Crystalli obtentae repetita crystallisatione depu-

rentur, abluantur, siccentur et in vase bene clauso serventur.

Sint crystalli albae, pellucidae, in aëre paullum fatiscentes, in aquae partibus tribus, in spiritus vini rectificatissimi partibus viginti solubiles, ab inquinamentis metallicis prorsus, a salibus heterogeneis, in natro carbonico occurrentibus, quantum fieri potest, liberae.

Natrum carbonicum acidulum.

Natrum bicarbonicum. Bicarbonas natricus cum Aqua. Doppelt kohlensaures Natron.

Sal albissimus in crustis crystallinis, saporis mitis, in aëre non fatiscens, in aquae partibus tredecim, nec in spiritu vini solvendus. Constat e natro, acido carbonico et aqua. In officinis chemicis paratur. Rejiciatur, quod metallis inquinatum est, et cui natrum carbonicum et sulphuricum, vel natrium chloratum immixta sunt.

Natrum carbonicum crudum.

Sal Sodae crudus. Alkali minerale crudum. Carbonas natricus cum Aqua crudus. Rohes kohlensaures Natron. Rohes mineralisches Laugensalz.

Sal in frustis crystallinis, albis, pellucidis, aëre fatiscentibus, saporis lixiviosi refrigerantis, in aquae frigidae partibus duabus, fervidae quantitate aequali solvendus, e natro, acido carbonico et aqua constans, saepe natro sulphurico nec non natrio chlorato et sulphurato immixtis. Paratur in officinis chemicis. Rejiciatur quod metallis inquinatum est.

Natrum carbonicum depuratum.

Alkali minerale depuratum. Sal Sodae depuratus. Carbonas natricus cum Aqua depuratus.

Paretur e **Natro carbonico crudo** uti Kali chloricum depuratum, et servetur in vase clauso.

Sint crystalli albae, pellucidae, in aëre facile fatiscentes, a natrio sulphurato plane, a natro sulphurico ac natrio chlorato quantum fieri potest liberae.

Natrum carbonicum depuratum siccum.

Carbonas natricus depuratus.

Crystallos **Natri carbonici depurati** grosso modo tritas loco tepido et sicco aëri expone, donec in pulverem perfecte siccum fatiscant, quem per cribrum trajectum in vasis bene obturatis loco sicco serva. Sit pulvis subtilissimus, albus, saporis lixiviosi calescentis.

Natrum nitricum crudum.

Nitrum cubicum crudum. Nitras natricus crudus. Chili-Salpeter.

Sal in crystallis albidis, in aëre sicco non mutandis, in humido tandem deliquescentibus, in aquae frigidae partibus tribus, fervidae dimidia fere parte solvendus, saporis subacris cum sensu frigoris conjuncti. Constat e natro et acido nitrico, interdum calcium chloratum immixtum est. Metallis ne sit inquinatum. Advehitur ex America meridionali.

Natrum nitricum depuratum.

Nitrum cubicum depuratum. Nitras natricus depuratus.

Paretur e Natro nitrico crudo uti Kali chloricum depuratum.

Sint crystalli albae, pellucidae, a calcaria liberae.

Natrum phosphoricum.

Soda phosphorata. Phosphas natricus cum Aqua.

R. **Acidi phosphorici,**
Aquae destillatae, singulorum libram unam et dimidiam.

Mixtis et calefactis sensim addatur
Natri carbonici depurati libra una aut tantum, ut hoc praevaleat.

Liquorem filtratum in crystallos redige, quas collectas, elotas et siccatas in vase bene clauso serva.

Sint crystalli albae, recentes pellucidae, dein opacae, in aëre fatiscentes, saporis mitis, in aquae frigidae partibus quatuor, fervidae partibus duabus solubiles.

Natrum sulphuricum crudum.

Sal mirabile Glauberi crudum. Sulphas natricus cum Aqua crudus. Rohes schwefelsaures Natron. Rohes Glaubersalz.

Sal in frustis crystallinis, pellucidis, in aëre fatiscentibus, albis, in aquae frigidae tribus fere partibus, et fervidae parte tertiaria solvendus, sapore amaro, refri-

gerante. Constat e natro, acido sulphurico et aqua, interdum natrio chlorato plus minusve immixto. Paratur in officinis chemicis. Rejiciatur qui metallis inquinatus est.

Natrum sulphuricum depuratum.

Sal mirabile Glauberi depuratum. Sulphas natricus cum Aqua depuratus.

Paretur e **Natro sulphurico crudo** uti Kali chloricum depuratum.

Sint crystalli albae, pellucidae, in aëre fatiscentes, a natrio chlorato quantum fieri potest liberae.

Natrum sulphuricum depuratum siccum.

Sulphas natricus depuratus.

Paretur uti Natrum carbonicum depuratum siccum e **Natro sulphurico depurato.**

Sit pulvis subtilissimus, albus, saporis subamari incalescentis.

Nuces moschatae.

Muskatnüsse.

Myristica moschata Thunb. Myristiceae.

Nuces vomicae.

Krähenaugen.

Strychnos Nux vomica L. Apocyneae.

Semina orbiculata, quorum diametros pollicem dimidium ad pollicem et quod excurrit exaequat, depressa et hinc umbonata, testa extus grisea pilis e cinereo argenteis splendentibus adpressis obsita, intus e nigro fusca, nucleo (albumine) albo, duro, tenaci. Advehuntur semina ex India orientali, ubi arbor indigena. Caute serva.

Oleum Absinthii.

R. **Herbae Absinthii** recenter collectae, modice siccatae
et concisae **quantum vis.**

Immitte in vas destillatorium et affunde

Aquae communis octuplum,

aut **quantum sufficit,** ut massa pulti tenui similis fiat. Vas destillatorium ita constructum sit, ut aquae vapores ex alio vase emissi pultem penetrare possint. Fiat destillatio per hosce vapores. Oleum obtentum ab aqua separetur et filtretur.

Haec operatio, **nova Herbae Absinthii copia, Aqua stillatitia** et **Aquae communis sufficiente quantitate** adhibitis, tam saepe repetatur, quam olei quantitas desiderata obtenta fuerit.

Sit coloris e fusco viridis.

Oleum Amygdalarum.

Ex **Amygdalis** grosso modo pulveratis et sacco inclusis, ope preli, laminis non tepefactis, expressione paretur. Operatio placenta pulverata repetatur. Oleum per aliquod tempus sepositum filtretur et in vase bene clauso servetur.

Sit limpidum, coloris flavi, saporis mitis, odoris expers nec frigore spissescens.

Oleum Amygdalarum aethereum.

R. **Amygdalarum amararum libras decem.**

Expressione calorem evitando ab oleo pingui liberentur, residuum in pulverem redigatur, cum **Aquae pluvialis aut fluviatilis libris quadraginta quinque** ad **quinquaginta** intime misceatur et in vas destillatorium injiciatur, in quod statim aquae vapores ex alio vase immittantur, et fiat destillatio quantum fieri potest accelerata, donec **decem ad duodecim librae** destillaverint. Oleum in fundo positum decantatione aquae statim separetur. Aqua decantata novae destillationi aquae vaporibus peragendae subjiciatur, quam diu oleum transit, quod idem separetur. Oleum utroque modo obtentum in vasis parvis bene claudendis cautissime servetur.

Sit limpidum, album aut subflavum, aqua gravius.

Oleum animale aethereum.

Loco Olei animalis Dippelii.

Oleum animale foetidum e retorta, in balneo arenae

collocata, calore blando destillet, quamdiu oleum tenue transit, quod cum **Aquae quadruplo** mixtum iterum destillet, quamdiu coloris expers aut paullum subflavum apparet. Ab aqua separatum servetur in lagunculis plane replendis et exacte obturandis.

Sit limpidum, coloris expers aut paullum subflavum, odoris gravissimi.

Oleum animale foetidum.

Oleum Cornu Cervi. Hirschhornöl.

Oleum empyreumaticum, paullum spissum, e fusco nigrum, opacum, odore foetidissimo.

Paratur in officinis propriis.

Oleum Anisi.

Paretur e **Semine Anisi vulgaris** contuso cum **Aquae sextuplo**, uti oleum Absinthii.

Sit coloris luteoli.

Si frigore in massam crystallinam redactum fuerit, calore 6 usque ad 9° C. eam formam servat.

Oleum Bergamottae.

Bergamottöl.

Citrus Limetta Risso, Dec. Aurantiaceae.

Oleum aethereum, flavum, fragrans, e cortice fructus laceratione et expressione in Italia obtentum.

Oleum Cacao.

Butyrum Cacao.

Semina Cacao leniter tosta, a testis liberata, contusa, in vase ferreo calefacto trita et sacco inclusa, ope preli, cujus laminae in aqua fervida calefactae sunt, exprime. Tum massa liquata loco calido per chartam bibulam filtretur, et in vasis vitreis obturatis servetur.

Sit coloris e subflavo albi, sebo ovillo solidius, leni calore liquescens, saporis mitis.

Oleum Cajeputi.

Cajeputöl.

Melaleuca Cajeputi Roxb. Myrtaceae.

Oleum aethereum tenue, plerumque viride, rarius subflavum aut subcoeruleum, odoris fortis camphoracei, saporis acris et aromatici. Quod cuprum continet non nisi ad oleum rectificatum inde parandum aut ad usum externum adhibeatur. Paratur destillatione e ramis et foliis fruticis supra dicti, in insulis Moluccanis spontanei.

Oleum Cajeputi rectificatum.

R. **Olei Cajeputi partem unam,**
Aquae communis partes octo.

Fiat destillatio e retorta vitrea, quamdiu oleum coloris expers prodit.

Oleum Calami.

Paretur e **Radice Calami** uti oleum Absinthii.

Sit coloris e subviridi flavi.

Oleum Carvi.

Paretur e **Semine Carvi** uti oleum Anisi.

Sit coloris expers.

Oleum Caryophyllorum.

Paretur e **Caryophyllis** uti oleum Anisi.

Sit coloris expers aut subflavum, aqua gravius.

Oleum Chamomillae citratum.

Paretur uti oleum Absinthii e **Florum Chamomillae vulgaris** recenter collectorum et modice siccatorum **libris viginti**, quibus in massam pulti tenui similem redactis **Olei Corticis Citri uncia dimidia** addita est.

Sit coloris coerulei saturati, nequaquam viridis, et servetur in lagenis minimis bene involutis.

Nota. Hoc oleum dispensetur, nisi oleum Chamomillae purum praescriptum fuerit.

Oleum Chamomillae purum.

Paretur e **Floribus Chamomillae vulgaris** uti oleum Absinthii, et servetur in lagenis minimis bene involutis.

Sit paullum spissum, coloris coerulei saturati, nequaquam viridis.

Oleum Cinnamomi.

Oleum Cassiae cinnamomeae. Zimmtöl. Zimmtkassienöl.

Oleum aethereum flavum, demum in colorem fuscum vergens, fragrans, saporis dulcis urentis, aqua gravius.

Paratur destillatione in India orientali e Cassia cinnamomea.

Oleum contra Taeniam Chaberti.

℞. Olei Terebinthinae uncias duodecim,
» animalis foetidi uncias quatuor.

Immittantur in retortam vitream ope infundibuli et lenta destillatione eliciantur **unciae duodecim**, quas statim in vitra parva ingere et in iis bene clausis serva.

Sit coloris expers, demum flavescens.

Oleum Corticis Citri.

Oleum de Cedro. Zitronenöl. Cedroöl.

Citrus Medica Dec. Aurantiaceae.

Oleum aethereum e corticibus fructus laceratione et expressione in Italia paratum, tenue, subflavum, fragrans, saporis grati aromatici.

Oleum Crotonis.

Crotonöl.

Croton Tiglium L. et Croton Pavana Hamilt.
Euphorbiaceae.

Oleum pingue, e flavo fuscum, saporis acerrimi. Paratur praesertim in India orientali e seminibus fruticum supra dictorum. Caute servetur.

Oleum Florum Aurantii.

Oleum Neroli. Pomeranzenblüthenöl.

Citrus Aurantium L. Citrus vulgaris Dec.
Aurantiaceae.

Oleum aethereum flavum, fragrans. Paratur e floribus arboris supra dictae destillatione in Europa meridionali.

Oleum Foeniculi.

Paretur e **Semine Foeniculi** uti oleum Anisi.

Sit coloris expers, frigore in laminas crystallinas concrescens.

Oleum Galbani.

R. **Galbani** in frustula dissecti **libras duas,**
Aquae communis libras sedecim.

Fiat destillatio e retorta, quamdiu oleum ab empyreumate liberum prodit, tum separetur.

Sit coloris expers aut subflavum.

Oleum Jecoris Aselli.

Leberthran.

Gadus Morrhua L. Pisces Malacopterygii Subbranchiales.

Oleum pingue, pellucidum, coloris flavi aut aurantiaci, odoris piscini. Rejiciatur rancidum. Paratur e jecore Gadi Morrhuae. E Norvegia et Suecia ad nos advehitur.

Oleum Juniperi.

Paretur e **Baccis Juniperi** uti oleum Anisi. Sit coloris expers.

Oleum Lauri.

Oleum laurinum. Lorbeeröl.

Laurus nobilis L. Laurineae.

Oleum aethereo-unguinosum, spissum, granulosum, e flavo viride, odoris aromatici, in aethere plane, in spiritu vini rectificatissimo pro parte aetherea praesertim solubile. Paratur e fructibus recentibus arboris supra dictae in Europa australi, unde ad nos advehitur.

Oleum Lavandulae.

Lavendelöl.

Lavandula vera Dec. Labiatae.

Oleum aethereum, e subviridi subflavum, fragrans.

Paratur destillatione e planta florente praesertim in Gallia meridionali.

Oleum Lini.

Leinöl.

Linum usitatissimum L. Linoideae.

Oleum seminis pingue, fusco-flavum. Cave ne paullum spissum sit.

Oleum Macidis.

Muskatblüthenöl.

Myristica moschata Thunb. Myristiceae.

Oleum aethereum, subflavum, fragrans. Paratur destillatione e Macide in India orientali, unde ad nos advehitur.

Oleum Menthae crispae.

Paretur e **Foliis Menthae crispae** uti oleum Absinthii. Sit coloris e viridi subflavi.

Oleum Menthae piperitae.

Paretur e **Foliis Menthae piperitae** uti oleum Absinthii, nisi quod iterata destillatione per vapores rectificetur.

Sit coloris expers, in lingua sensum frigoris excitans.

Oleum Nucistae.

Muskatnussöl.

Myristica moschata Thunb. Myristiceae.

Oleum pingue cum oleo aethereo mixtum, sebi spissitudine, e flavo et albo variegatum, aqua levius, fragrans, in aethere fervente solubile solutione limpida. Paratur expressione e nucleis Myristicae moschatae in India orientali, unde ad nos advehitur.

Oleum Olivarum.

Olivenöl. Baumöl.

Olea europaea L. Oleinae.

Oleum pingue, aut flavum, limpidum, odoris et saporis expers, aëri expositum rancescens, aut subviride, saporis subacris, odoris subrancidi, utrumque frigore in massam granulosam transiens. E drupis arboris supra dictae in Europa calidiore exprimitur; primo descriptum, quod optimum est, e provincia Narbonensi Galliae advectum indeque **Oleum Provinciale** (Provencer Oel) dictum, ad usum internum adhibeatur.

Oleum Papaveris.

Mohnöl.

Papaver somniferum L. Papaveraceae.

Oleum seminis pingue, subflavum, sapore dulci, odore fere nullo.

Oleum phosphoratum.

R. **Phosphori** bene sicci et concisi **grana sex.**
Immitte in phialam
Olei Amygdalarum unciam unam
continentem, quam obturatam in aquam calidam immerge, ita ut phosphorus liquetur. Tum vas agitetur, donec phosphorus solutus sit. Oleum refrigeratum a phosphoro forsan secreto sollicite decanta.

Sit limpidum, a phosphoro secreto liberum.

Oleum Ricini.

Oleum Castoris. Oleum Palmae Christi. Ricinusöl.

Ricinus communis L. Euphorbiaceae.

Oleum pingue, paullum spissum, coloris expers aut subflavum, in spiritu vini alcoholisato solubile, inodorum, sapore subacri.

Paratur e seminibus expressione in India occidentali. Cave ne sit nimis spissum.

Oleum Rosarum.

Rosenöl.

Rosa centifolia L. et aliae spec.? Rosaceae.

Oleum aethereum, paullum spissum, frigore solidescens, e subflavo album, fragrantissimum. Paratur e petalis Rosarum destillatione praesertim in Persia, unde ad nos advehitur.

Oleum Rosmarini.

Rosmarinöl.

Rosmarinus officinalis L. Labiatae.

Oleum aethereum, coloris expers aut e subviridi flavum, odoris aromatici, camphoracei. Destillatione ex herba florente paratur in Europa australi.

Oleum Sabinae.

Paretur ex **Herba Sabinae** uti oleum Absinthii. Caute servetur.

Sit coloris expers.

Oleum Salviae.

Paretur e **Foliis Salviae** uti oleum Absinthii.

Sit coloris e flavo albi.

Oleum Sinapis.

R. **Seminis Sinapis libras decem.**

Contundantur, cum

Aquae pluvialis aut fluviatilis libris quadraginta intime misceantur et mixta in vas destillatorium immittantur. Tum vapores ex alio vase immissi per mixturam transeant, quamdiu oleum aethereum prodit. Destillatio cito peragatur et oleum in fundo obtentum statim filtratione ab aqua separetur. Ut major olei copia obtineatur, aquam

stillatitiam cum nova quantitate seminis Sinapis misce et destillationem repete. Caute serva.

Sit coloris flavi.

Oleum Succini.

Bernsteinöl.

Oleum empyreumaticum, paullum spissum, fuscum, odore bituminoso. In officinis chemicis una cum acido succinico destillatione succini obtinetur.

Oleum Succini rectificatum.

Oleum Succini cum **Aquae communis triplo** e retorta vitrea destillet, ita ut **tertia pars** olei adhibiti remaneat, aut quamdiu oleum coloris expers prodit.

Sit coloris expers, tempore flavescens.

Oleum Tanaceti.

Paretur ex **Herba** et **Floribus Tanaceti** uti oleum Absinthii. Sit subflavum.

Oleum Terebinthinae.

Terpenthinöl.

Pinus sylvestris L., Pinus Pinaster Lamb. et Abies excelsa Dec. Coniferae.

Oleum aethereum, coloris expers, graveolens. Obtinetur destillatione e Terebinthina communi, praeferatur, quod e Gallia meridionali ad nos pervenit.

Oleum Terebinthinae rectificatum.

Paretur ex **Oleo Terebinthinae** uti oleum Succini rectificatum.

Sit coloris expers.

Oleum Thymi.

Thymianöl.

Thymus vulgaris L. Labiatae.

Oleum aethereum, flavum aut rubens, fragrans.

Obtinetur destillatione herbae florentis praesertim in Gallia, unde ad nos advehitur.

Oleum Valerianae.

Paretur e **Radice Valerianae minoris** uti oleum Absinthii.

Sit coloris e subviridi flavi.

Nota. Omnia olea aetherea serventur a luce remota in lagunculis probe clausis et ab aëris contactu sollicite arceantur.

Sint limpida et odorem habeant excitatissimum earum substantiarum, e quibus parata sunt.

Olibanum.

Thus. Weihrauch.

Boswellia serrata Colebrook. Burseraceae.

Resina in frustulis rotundis et granulis albido-luteo-

lis, vix nitentibus, pulvere quasi inspersis, fragilibus, saporis subamaricantis, dum accenditur fragrans. In spiritu vini rectificatissimo pro maxima parte solvitur. Est, uti videtur, succus induratus fruticis supra dicti, in Arabia orientali colligitur et ad nos advehitur.

Opium.

Meconium. Opium. Mohnsaft.

Papaver somniferum L. Papaveraceae.

Massa spissa in glebis aut placentis, fusca, hinc inde magis minusve subflava et inde variegata, digitis tractata emollienda, siccata et in pulverem redacta e subflavo fusca, saporis amari, odoris nauseosi, in aqua majori ex parte solubilis solutione limpida, fructibus praesertim Rumicis inspersa et foliis variis siccatis saepissime involuta. Paratur e capsulis immaturis Papaveris supra dicti in variis Orientis locis, praesertim in insula Chio. Praestat Opium de Smyrna. Cave a nimis molli, nec non a nimis duro et fragili, fractura aequabili, unicolore. Caute serva.

Os Sepiae.

Weifses Fischbein.

Sepia officinalis L. Mollusca Cephalopoda.

Testa interna in dorso animalis posita, oblonga, hinc fere plana, illinc convexa, friabilis, composita e lamellis tenuibus ope columellarum cavarum subtilissimarum junctis, e calcaria carbonica constans. Colligitur ex ani-

mali mortuo separata et in littoribus maris mediterranei rejecta.

Oxymel scilliticum.

R. Aceti scillitici libram unam,
Mellis depurati libras duas.

Mixta in balneo vaporis calore 75 usque ad 85° C. evaporent ad syrupi spissitudinem et colentur. Serva loco frigido.

Sit limpidum, e flavo fuscum, saporis amari et acidi.

Oxymel simplex.

R. Aceti crudi libram unam,
Mellis depurati libras duas.

Mixta in balneo vaporis calore 75 usque ad 85° C. evaporent ad syrupi spissitudinem et colentur. Serva loco frigido.

Sit limpidum, e flavo fuscum.

Pasta Glycyrrhizae.

Pasta Liquiritiae.

R. Radicis Glycyrrhizae glabrae grosso modo concisae uncias duas.

Macera per noctem in

Aquae communis libris duabus.

Liquor colatus ebulliat, tum refrigeratus filtretur et additis

Aquae communis libris sex

solvantur

Gummi Arabici electi **librae duae cum dimidia,**

Sacchari albissimi libra una cum dimidia.

Colentur et leni ebullitione sine agitatione coquantur, donec gutta, laminae metallicae frigidae instillata, commota fluere desinat. Tandem postquam bullae disparuerint, remota pellicula, effunde in capsulas planas chartaceas et pastam modico calore sufficienter exsiccatam, in taleolas scissam, loco sicco serva.

Sit diaphana, coloris e fusco flavi.

Pasta gummosa.

Loco Pastae de Althaea.

R. **Gummi Arabici** electi,

Sacchari albissimi, singulorum **libras duas.**

Solve in

Aquae communis libris octo.

Liquor subsidendo et colando depuratus in lebete cupreo polito leni calore, spathula lignea continuo agitando, ad mellis spissitudinem evaporet. Tum paullatim admisceatur

Albuminis Ovorum recentium in spumam densam redacti **libra una cum dimidia,**

et agitetur massa, donec aliquantulum exemtum a spathula mota difficulter defluat. Tandem addita

Elaeosacchari Florum Aurantii drachma una

effundatur in capsulas chartaceas et loco calido exsiccetur. Pastam in taleolas scissam loco sicco serva. Sit albissima, levis et fragilis.

Petroleum.

Oleum Petrae. Steinöl.

Liquor coloris expers aut subflavus, iridescens, limpidus, sapore et odore bituminoso, plane volatilis, igne deflagrans, in oleis, in alcohole absoluto, cui innatat, solubilis. In Oriente et variis Europae locis e terra saxorumque rimis effluit. Cave ne oleo terebinthinae, neve oleo succini inquinatum sit.

Petroleum rectificatum.

Paretur e **Petroleo** uti oleum Succini rectificatum. Sit coloris expers.

Phosphorus.

Phosphor.

Substantia in bacillos formata, compacta, lenta, recens alba, subpellucida, tum superficie opaca, loco obscuro lucens, aëri exposita fumum odoris alliacei spargens, calore 35 ad 37° C. liquescens, 72 ad 75° C. in aëre flammam concipiens. Paratur in officinis chemicis, sub aqua providenter et caute servandus.

Pilulae aloëticae ferratae.

Pilulae Italicae nigrae.

R. **Ferri sulphurici puri** ad albedinem exsiccati,
Aloës pulveratae, singulorum **partes aequales.**

Mixta cum

Spiritus Vini rectificatissimi guttis aliquot

humectentur, ut fiat massa, ex qua formentur pilulae ponderis granorum duorum.

Sint nitidae, coloris nigri.

Pilulae Jalapae.

Pilulae purgantes.

R. **Saponis jalapini** partes tres,

Radicis Jalapae pulveratae partem unam.

Misce ut fiat massa pilularum, e qua formentur pilulae ponderis granorum duorum, semine Lycopodii conspergendae.

Pilulae odontalgicae.

R. **Extracti Belladonnae,**

» **Hyoscyami,**

Opii pulverati, singulorum **grana decem,**

Olei Caryophyllorum guttas viginti,

Radicis Pyrethri pulveratae **drachmam dimidiam**

aut **quantum sufficit**

ad massam pilularum parandam, e qua formentur pilulae ponderis grani unius, pulvere Caryophyllorum conspergendae. Caute serventur in vase bene clauso.

Placenta Seminis Lini.

Leinkuchen.

Linum usitatissimum L. Linoideae.

E residuis seminum Lini expressione olei hae placentae formantur. Cave ne placentae seminum Brassicae Napi et oleiferae harum loco adhibeantur.

Plumbum aceticum crudum.

Saccharum Saturni crudum. Acetas plumbicus cum Aqua crudus. Roher Bleizucker.

Sal in crystallis saepissime cohaerentibus, coloris albidi aut subflavi, nitentibus, subdiaphanis, demum in aëre superficie fatiscentibus, saporis dulcis, austeri metallici, in aquae partibus duabus, nec non in spiritu vini rectificatissimo solvendus, e plumbo oxydato, acido acetico et aqua constans. Sit a cupro liberum. Paratur in officinis chemicis.

Caute serva in vasis clausis.

Plumbum aceticum depuratum.

Saccharum Saturni depuratum. Acetas plumbicus cum Aqua depuratus.

R. **Plumbi acetici crudi uncias sex.**

Solve in

Aquae destillatae calidae unciis duodecim,

admiscendo

Aceti puri unciam dimidiam.

Liquor filtretur et in crystallos redigatur, quae ablutae et siccatae in vase bene clauso caute serventur.

Sint crystalli albae, diaphanae et in aqua plane solubiles.

Poma immatura acidula.

Unreife saure Aepfel.

Pyrus Malus L. Rosaceae-Pomaceae.

Pulpa Tamarindorum.

Tamarindis adde

Aquae communis fervidae paullum

et sepone, interdum agitando, donec aequabiliter emolliti fuerint. Tum per cribrum setaceum spathulae ligneae ope trajice et pulpam obtentam in vasis porcellanicis evaporatione in balneo vaporis ad extracti spissioris densitatem redige.

Dein singulis libris pulpae adhuc calentis admisce

Sacchari albi pulverati **uncias duas.**

Servetur loco sicco et frigido.

Sit e nigro fusca, saporis acidi grati.

Pulvis aërophorus.

R. **Natri carbonici aciduli unciam dimidiam,**

Acidi tartarici drachmas tres,

Sacchari albissimi drachmas septem.

Seorsim in pulverem subtilissimum redacta et bene exsiccata misceantur. Servetur in vase bene clauso.

Pulvis aërophorus laxans.

Pulvis aërophorus Anglicus.

℞. Natro-Kali tartarici pulverati drachmas duas,
Natri carbonici aciduli pulverati scrupulos duos.
Misce.
Simul seorsim dispensetur
Acidi tartarici pulverati drachma dimidia.

Pulvis aromaticus.

℞. Cassiae cinnamomeae pulveratae uncias duas,
Cardamomi minoris pulverati unciam unam,
Radicis Zingiberis pulveratae unciam semis.
Misce et in vase bene obturato serva.

Pulvis Glycyrrhizae compositus.

Pulvis Liquiritiae compositus. Pulvis pectoralis Kurellae.

℞. Foliorum Sennae,
Radicis Glycyrrhizae echinatae, singulorum pulveratorum uncias sex,
Seminis Foeniculi pulverati,
Sulphuris depurati, singulorum uncias tres,
Sacchari albissimi pulverati uncias octodecim.
Misceantur.

Pulvis gummosus.

R. Gummi Arabici pulverati uncias tres,
Radicis Glycyrrhizae echinatae pulveratae unciam unam,
Sacchari albissimi pulverati uncias duas.
Misce.

Pulvis Ipecacuanhae opiatus.

Pulvis Doweri.

R. Kali sulphurici depurati pulverati unciam unam,
Opii,
Radicis Ipecacuanhae, singulorum pulveratorum drachmam unam.
Misce exacte et in vase bene obturato caute serva.

Nota. Grana decem continent Opii granum unum.

Pulvis Magnesiae cum Rheo.

Pulvis pro infantibus.

R. Magnesiae hydrico-carbonicae unciam unam,
Elaeosacchari Foeniculi unciam dimidiam,
Radicis Rhei pulveratae drachmas duas,
» Iridis Florentinae pulveratae drachmam unam cum dimidia.
Misce.
In vase bene clauso serva.

Radix Alcannae.

Alkannawurzel.

Anchusa tinctoria Desfont. Baphorrhiza tinctoria Link. Borragineae.

Radix subcylindrica, subramosa, cortice facile secedente, colore obscure rubro, ligno crasso pallidiore, salivam colore rubro tingens. Planta in Europa australi praesertim orientali et in Oriente indigena, unde radix advehitur.

Radix Althaeae.

Eibischwurzel. Altheewurzel.

Althaea officinalis L. Malvaceae.

Radix versus caulem ramosa, ramis longis, subsimplicibus, crassitie digitali, cortice exteriori tenui e subfusco griseo, deglupta, qualis semper prostat, alba, per longitudinem saepe sulcata, cicatricibus radicularum abscissarum notata, masticata mucilaginosa. Crescit planta in variis Germaniae locis, praesertim ad sepes, et radicem cultae adhibere licet. Colligenda autumno.

Radix Angelicae.

Angelikawurzel.

Angelica Archangelica L. Umbelliferae.

Radix capite (rhizomate) crasso, ad 2 pollices longo, radiculis densis, ad 6 pollices longis, 2 ad 3 lineas crassis, sulcatis, extus e griseo fuscis, intus albis, folli-

culis numerosis flavis, odore gravi, sapore initio dulci, demum acri aromatico. Crescit planta in Europa boreali et in locis alpestribus Europae mediae. Radicem plantae cultae adhibere licet. Colligatur anno aetatis secundo tempore verno.

Radix Arnicae.

Wohlverleihwurzel.

Arnica montana L. Compositae-Asteroideae.

Radix (rhizoma) flexuosa, 1 ad 2 lineas crassa, rugosa et verrucosa a rudimentis vaginarum, dura, e fusco nigra, intus alba, cortice ductibus succifluis praedito, subamara et subacris. Radiculas plerumque in altero tantum latere emittit longas, tenues, duras et fragiles. Colligenda vere.

Radix Artemisiae.

Beifufswurzel.

Artemisia vulgaris L. Compositae-Artemisiaceae.

Radix crassa, versus apicem ramosissima, radiculis longis, simplicibus, flexuosis, e griseo subfuscis, intus ligno albo, sapore subdulci, demum acri. Crescit planta in Germania ubique ad vias et sepes. Colligendae radices autumno nec lavandae. Radiculae, quae tantummodo adhibentur, leni calore siccentur et in vasis bene clausis serventur.

Radix Bardanae.

Klettenwurzel.

Arctium Lappa L. Arctium Lappa et Bardana Willd. Lappa major et tomentosa Dec. Compositae - Cynareae.

Radix longa subsimplex, per longitudinem rugosa, cortice extus nigricante, intus albo aut luteolo, ligno luteolo, medulla fere nulla, sapore subdulci. Planta biennis frequens ad sepes in Germania. Colligenda radix vere, secundo aetatis anno.

Radix Belladonnae.

Belladonnenwurzel.

Atropa Belladonna L. Solaneae.

Radix longa, ramosa, ramis longis simplicibus, radiculis paucis, per longitudinem striata et rugosa, cortice extus et intus luteolo, ligno luteolo poris paucis distincto, medulla fere nulla. Plerumque per longitudinem dissecta prostat, sed deglupta rejicienda. Colligenda vere e planta spontanea in nemorosis Germaniae. Caute servanda.

Radix Calami.

Kalmuswurzel.

Acorus Calamus L. Acorinae.

Radix (rhizoma) cylindrica, compressa, annulata, unum ad duos pollices crassa, extus virens rubensve, radiculis

abscissis cicatrisata, intus alba, spongiosa, saporis aromatici et amari, odoris grati. Plerumque deglupta et per longitudinem scissa prostat. Planta frequens ad fluvios in Europa boreali et media, et rhizoma colligendum primo vere aut sero autumno.

Radix Caryophyllatae.

Nelkenwurzel.

Geum urbanum L. Rosaceae-Dryadeae.

Radix cum caulis basi, brevis, 1 ad 2 lineas crassa, radiculas copiosas tenues, longas emittens, cortice extus e cinereo fusco, intus e rubente fusco, ligno albo praeditas. Recens collecta et siccata odore et sapore est subcaryophyllaceis. Colligatur primo vere locis siccis Germaniae.

Radix Colchici.

Bulbus Colchici. Zeitlosenwurzel.

Colchicum autumnale L. Melanthaceae.

Bulbus recens solidus, subconicus, hinc convexus inde planus et saepissime sulco profundo exaratus, extus e subflavo fuscus, saepe degluptus, intus albus, durus, sapore acri. Crescit planta in pratis Germaniae mediae et australis. Colligendi bulbi autumno, cum floret planta, aut prima aestate, cum caulem foliaque protulit.

Radix Colombo.

Kolombowurzel.

Cocculus palmatus Dec. Menispermeae.

Radix in taleolas transversas secta, cortice exteriore magis minusve e griseo fusco, interiore flavo, ligno exteriore striis concentricis praedito, intimo fasciculis fibrosis sparsis, utroque e subviridi aut subfusco flavo, saporis peramari. Crescit planta in Africa orientali australi, radix ex India orientali ad nos advehitur.

Radix Filicis.

Farrnkrautwurzel.

Aspidium Filix mas Swartz. Filices.

Radix (cormus) magna, residuis petiolorum (stipitum) et squamis paleaceis obsita, recens extus atro-fusca, intus pallide subviridis, carnosa, sicca extus e fusco rubra, intus primo subviridis tandem e rubello alba, sapore e dulci subamaricante, odore subnauseoso. Ad pulverem parandum cormus et petiolorum residua crassiora, cortice resecto, sollicite siccentur et pulvis in vitris bene obturandis servetur. Colligatur radix e planta in Germania indigena autumno, neve ultra annum servetur.

Radix Galangae.

Galgantwurzel.

Planta ignota Chinensis.

Radix (rhizoma) teres, crassitie digitali, vario modo

flexa, paullum ramosa, annulata, per longitudinem rugulosa, extus e rufo fusca, intus e rufo albicans, saporis acris amaricantis, odoris aromatici. Advehitur e China.

Radix Gentianae rubrae.

Enzianwurzel.

Gentiana lutea L. Gentianeae.

Radix pollicem aut quod excurrit crassa, ad 6 pollices longa, paullum ramosa, radiculis vix ullis, per longitudinem rugosa, superne annulata, extus e luteo et cinereo subfusca, intus subrufa, ligno crasso, cortice tenuiore, saporis peramari. Occurrunt quoque radices similis formae, digitali crassitie, colore pallidiori, ab aliis speciebus Gentianae desumtae, non rejiciendae, sed cave ne radices Veratri albi immixtae sint. Planta perennis crescit in omnibus Alpibus Europae.

Radix Glycyrrhizae echinatae.

Radix Liquiritiae. Süfsholzwurzel.

Glycyrrhiza echinata L. Leguminosae-Papilionaceae.

Radix longa, fere 3 pollices crassa, cortice exteriore fusco deglupto flava, ligno crassissimo fibroso flavo, sapore valde dulci. Advehitur cx Russia meridionali.

Radix Glycyrrhizae glabrae.

Radix Liquiritiae. Süfsholzwurzel.

Glycyrrhiza glabra L. Leguminosae-Papilionaceae.

Radix saepe longissima, ad pollicem fere crassa, superne interdum ramosa, cortice extus e subfusco cinereo, per longitudinem rugoso, intus flavo, ligno crasso, fibroso, flavo, saporis ex amaro dulcis. Crescit planta spontanea in Europa meridionali et hinc inde colitur.

Radix Graminis.

Queckenwurzel.

Triticum repens L. Gramineae.

Radix (stolo subterraneus) praelonga, 1 ad 2 lineas crassa, teres, nodosa, ad nodos tantummodo radiculis obsita, fistulosa, coloris straminei, saporis subdulcis. Crescit planta frequens in Germania ad vias, sepes, agros. Colligenda radix autumno aut vere.

Radix Helenii.

Radix Enulae. Alantwurzel.

Inula Helenium L. Compositae-Asteroideae.

Radix plerumque per longitudinem in taleolas pollicem circiter latas secta, extus per longitudinem rugosa, subfusca, cortice tenui deglupto alba, intus subfusca ob folliculos succo indurato subfusco repletos, ligno crasso, tenaci; sapore ex acri amaro subaromatico, odore aro-

matico. Crescit planta in pratis humidis et ad fossas sepesque Germaniae, nec non in hortis frequenter colitur. Colligenda radix vere aut autumno.

Radix Hellebori albi.

Weifse Nieswurzel.

Veratrum album L. et Veratrum Lobelianum Bernhardi. Melanthaceae.

Radix (cormus) cylindrica aut conica, brevis, ad pollicem crassa, extus nigricans, e radiculis frequentibus resectis cicatricibus obsita, superne annulata, intus spongiosa alba, saporis acris, trita sternutationem vehementem excitans. Crescunt plantae in pratis alpinis et subalpinis Germaniae et Helvetiae. Caute serva.

Radix Hellebori nigri.

Schwarze Nieswurzel.

Helleborus niger L. Ranunculaceae.

Radix (rhizoma) ramosa, 6 lineas circiter crassa, variae longitudinis, radiculis superne adnatis praelongis, 1 ad 2 lineas crassis, extus e fusco nigricantibus, intus albis, sapore haud acri. Ne confundatur cum radicibus Adonidis vernalis et Hellebori viridis difficile distinguendis, itaque adhaereant folia sicca pedata, foliolis oblongis, antrorsum leviter serratis, nec undique argute serratis ut in Helleboro viridi, nec supradecompositis ut in Adonide vernali. Crescit planta ad sylvas montosas Germaniae meridionalis.

Radix Jalapae.

Jalapenwurzel.

Ipomoea Purga Schlechtend. Convolvulus Purga s. Purga de Jalapa Schiede. Convolvulaceae.

Radix tuberosa, variae magnitudinis, compacta, ponderosa, rugosa, extus fusca, in rugis massa nigricante obducta, aut integra aut dissecta, intus annulis concentricis, punctis lineisque fuscis notata, sapore acri-nauseoso. Cave ne resina extracta sit. Advehitur ex Mexico.

Radix Ipecacuanhae.

Brechwurzel.

Cephaëlis Ipecacuanha Rich. Rubiaceae.

Radix cylindrica, paullum ramosa, 1 ad 3 lineas crassa, flexuosa, verrucis aggregatis inaequalibus copiosis, extus e fusco grisea, intus e luteolo alba, cortice crasso, fragili, sapore amaro et acri-nauseoso, ligno tenui. In parando pulvere nihil radicis remaneat et pulvis in vasis bene clausis servetur. Adfertur radix e Brasilia.

Radix Iridis Florentinae.

Veilchenwurzel.

Iris Florentina L. Irideae.

Radix (rhizoma) tuberascens, pollicem et quod excurrit crassa, cortice et radiculis resectis alba, punctis subfuscis notata, odorem violarum praebens. Planta colitur in Italia superiore, unde radix ad nos adfertur.

Radix Levistici.

Liebstöckelwurzel.

Ligusticum Levisticum L. Levisticum officinale Koch. Umbelliferae.

Radix cylindrica, versus caulem ad pollicem et quod excurrit crassa, versus apicem in ramos crassos divisa, extus e cinereo luteola, intus albida, folliculis balsamifluis e rubicundo luteis frequentibus, saporis subdulcis, mucilaginosi, demum subacris, odoris aromatici. Planta perennis, rarius spontanea in Germania occidentali, frequenter vero culta. Colligenda radix vere.

Radix Ononidis.

Hauhechelwurzel.

Ononis spinosa L. Leguminosae-Papilionaceae.

Radix praelonga, digitum minorem et quod excurrit crassa, tenax, cortice tenui, fusco, ligno crasso, e subflavo albo, fibroso, saporis subacris. Planta frequens per totam Germaniam ad vias et agros. Colligenda radix vere aut autumno. Plerumque fissa prostat.

Radix Paeoniae.

Päonienwurzel.

Paeonia officinalis L. Ranunculaceae.

Radix (radicula) tuberosa, oblonga, napiformis aut cylindrica, digitum minorem ad pollicem usque

crassa, extus e rubro fusca, intus albida, quae plerumque deglupta et saepe fissa prostat, sapore fatuo. Planta in montosis Europae meridionalis indigena, in hortis saepe culta. Colligendae radiculae vere.

Radix Pimpinellae.

Pimpinellwurzel.

Pimpinella Saxifraga L. var. nigra. Umbelliferae.

Radix longa, crassitiem pennae columbinae adaequans, plerumque simplex et recta, per longitudinem rugosa, superne tantum annulata, e fusco luteola, cortice spongioso albido, intus interdum coerulescens e succo lacteo quem recens fundit, ligno tenui striato, saporis acris. Crescit planta in siccis arenosis et saxosis totius Germaniae, colligenda radix vere.

Radix Pyrethri.

Bertramwurzel.

Anacyclus officinarum Hayn. Compositae-Anthemideae.

Radix longa, simplex, 2 ad 3 lineas crassa, petiolis residuis comata, colore extus e cinereo fusco, intus pallidiore, sapore acerrimo salivam provocante. Colitur planta annua hinc inde in Germania.

Radix Ratanhae.

Ratanhawurzel.

Krameria triandra Ruiz et Pavon. Polygaleae.

Radices elongatae, subcylindricae, subramosae, digitali crassitie, plerumque e trunco breviore, crassiore exeuntes, cortice rubro, intimo fibroso, ligno pallidiore, sapore adstringente. E Peruvia et Chili radix advehitur.

Radix Rhei.

Rhabarberwurzel.

Rhei species ignota. Polygoneae.

Radix compacta, sub dentibus stridens, plerumque in frusta saepissime forata dissecta, ponderosa, extus resecto cortice lutea, quasi pulvere inspersa, intus e rubro et albo variegata, salivam flavedine tingens, sapore et odore peculiari. Ex emporio Sibiriae Kiachta, in finibus regni Sinensis sito, per Russiam, aut per Indiam orientalem e regno Sinensi ad nos advehitur.

Radix Rubiae tinctorum.

Färberröthe. Krappwurzel.

Rubia tinctorum L. Rubiaceae.

Radix cylindrica, tenuis, paullum ramosa, plures radices ex eadem caulis basi emittens, plerumque diffracta, cortice extus e rubro fusco, intus obscure rufo, ligno pallidiore, salivam rubro colore tingens. Planta in Oriente spontanea, apud nos culta. Colligenda radix autumno.

Radix Salep.

Salepwurzel.

Orchidis L. species ignotae orientales, nec non Orchis Morio et mascula L. Orchideae.

Tubera ovato-oblonga, subdiaphana, dura, ponderosa, sordide-lutea, simplicia, rarius subpalmata. Ex Oriente ad nos advehuntur, aut ab Orchidibus indigenis supra dictis sumuntur.

Radix Sarsaparillae.

Sarsaparillwurzel.

Smilacis species non satis definitae. Smilacinae.

Radix longissima, teres, ad 3 lineas crassa, flexuosa, per longitudinem sulcata, radiculis fibrillosis paucis, cortice extus et intus fusco, semilineam crasso, ligno annulari subflavo interdum subviridi, medulla crassiore alba, sapore primum debili tandem subacri. Haec est Sarsaparillae species nunc venalis, e Sinu Honduras, ut ajunt, advecta. Licet quoque adhibere radicem Sarsaparillae e Brasilia advectam, Lisbonensem dictam, non nisi colore e fusco rufo nec non cortice facile secedente dignoscendam.

Radix Scillae.

Radix Squillae. Meerzwiebel.

Scilla maritima L. Liliaceae-Hyacinthinae.

Bulbi squamae albidae, basi interdum rubentes, ad

2 pollices longae lataeque, 1 ad 2 lineas crassae, saporis peramari. Planta in Graecia et Sicilia haud infrequens, unde squamae bulbi ad nos advehuntur.

Radix Senegae.

Senegawurzel.

Polygala Senega L. Polygaleae.

Radix subcylindrica, subramosa, flexuosa, superne tuberculosa, subtus in curvaturis carina notata, cortice extus sordide luteolo, intus et ligno albidis, saporis acris pungentis. Ex Provinciis Americae borealis Unitis ad nos adfertur.

Radix Serpentariae Virginianae.

Virginische Schlangenwurzel.

Aristolochia Serpentaria L. Aristolochiaceae.

Radix fibrosa, capite (rhizomate) brevi, flexuosissimo, tuberculato, radiculis longis, tenuissimis, copiosis, intricatis, e luteo fuscis obsita, saporis acris aromatici, odoris camphoracei. Bene inclusa servetur. Ex Provinciis Americae borealis Unitis australibus advehitur.

Radix Taraxaci.

Löwenzahnwurzel.

Leontodon Taraxacum L. Compositae-Cichoraceae.

Radix subcylindrica, ramosa, radiculis obsita, ple-

rumque per longitudinem dissecta, extus fere nigra, cortice interiore albo spongioso, ligno tenui albente, medulla intrante luteola, saporis e dulci amaricantis. Frequens planta in tota Germania, colligatur radix autumno.

Radix Taraxaci cum Herba.

Löwenzahnwurzel mit Kraut.

Leontodon Taraxacum L. Compositae-Cichoraceae.

Radix subcylindrica, radiculis obsita, extus e nigro fusca, intus alba, cum foliis novellis runcinatis, denticulatis fere glabris, saporis e dulci amaricantis. Frequens planta in tota Germania, colligatur primo vere.

Radix Valerianae minoris.

Baldrianwurzel.

Valeriana officinalis L. Valerianeae.

Radix (rhizoma) brevis, tuberculata, radiculas emittens copiosissimas, longas, tenues, semilineam crassas, contortas, extus e fusco nigricantes, cortice paullo crassiori interiore subfusco aut subviridi, ligno tenuissimo, albido, medio subfusco, saporis amari et subacris, odoris gravis. Frequens planta in Germania, colligenda radix autumno et praeferatur e locis siccioribus praesertim montosis desumta.

Radix Zedoariae.

Zittwerwurzel.

Curcuma Zedoaria Roscoe. Alpiniaceae.

Radix (rhizoma) oblonga aut subconica, radiculis et cortice exteriore resectis, ipsa plerumque per longitudinem interdum per transversum secta, compacta, extus e luteo cinerea, intus e rufo subflava aut albida, folliculis parvis resiniferis, saporis acris amaricantis, odoris gravis subcamphoracei. Ex India orientali ad nos adfertur.

Radix Zingiberis.

Ingber. Ingwer.

Zingiber officinale Roscoe. Alpiniaceae.

Radix (rhizoma) interdum ramosa, flexa, depressa, rugosa, tuberculata, compacta, ponderosa, cortice exteriore resecto ex albido livida, intus e rubenti alba, folliculis parvis resiniferis, saporis peracris, odoris aromatici. Ex India orientali ad nos adfertur.

Resina empyreumatica liquida.

Pix liquida. Theer.

Pinus sylvestris L. Coniferae.

Resina empyreumatica solida.

Pix navalis. Schwarzes Pech. Schiffspech.

Pinus sylvestris L. Coniferae.

Resina Guajaci.

Guajakharz.

Guajacum officinale L. Zygophylleae.

Resina in frustis difformibus, e fusco subviridis, superficie pulverulenta, fractura splendente, subdiaphana, friabilis, trita coloris albidi, saporis e dulci amari acris, prunis injecta odorem balsamicum spargens.

Genuina cum gummi Arabico et aqua trita aërique exposita colore caesio tingitur. E ligno Guajaci officinalis arboris Indiae occidentalis urendo aut coquendo cum aqua paratur.

Resina Jalapae.

R. **Radicum Jalapae libras quatuor.**

Infunde

Aquae communis tantum, ut radices ad pollicis altitudinem obtegantur.

Macera per duos aut tres dies et liquore rejecto operationem repete. Tum radices concisas exprime et infunde

Spiritus Vini rectificatissimi libras octo.

Digere per horas viginti quatuor et post refrigerationem exprime, quae operatio cum **residuo radicum** et **Spiritus Vini rectificatissimi libris octo** repetatur. E tincturis commixtis et filtratis spiritus in balneo vaporis destillando separetur. Resina subsidens separata **Aqua communi fervida** abluatur, donec aqua coloris fere expers defluit, et balneo vaporis exponatur, ut in bacillos formari possit. Caute serva.

Sit fractura splendens, e flavo fusca et friabilis, in spiritu vini rectificatissimo plane solubilis.

Resina Pini Burgundica.

Burgundisches Harz.

Pinus sylvestris L. et Abies excelsa Dec.
Coniferae.

Resina, aut tenax, manus calore emollienda, subflava, opaca, aut friabilis, e rufo flava, subdiaphana, fractura nitente, utraque odoris terebinthini. Paratur e resina ex arboribus sponte stillante, coquendo sub aqua et liquando.

Rotulae Menthae piperitae.

R. **Rotularum Sacchari uncias quatuor.**
Immitte in vas vitreum, antea solutis
Olei Menthae piperitae guttis duodecim
in
Aetheris acetici guttis triginta
agitando intus obductum. Tunc vas bene agitetur, ut rotulae perfecte humectentur, quae in vase bene clauso serventur.

Rotulae Sacchari.

Zuckerplätzchen.

Saccharum.

Zucker.

Saccharum albissimum, vulgo ***Raffinade*** dictum. Saccharum album, vulgo ***Melis*** dictum.

Saccharum Lactis.

Milchzucker.

Massae e crystallis compactis albae, subflavescentes, durae, subdulces, in aquae frigidae partibus octo solubiles, sed non in spiritu vini rectificatissimo bulliente. Paratur e sero lactis dulci in Helvetia.

Sapo domesticus.

Hausseife.

Sapo guajacinus.

R. **Liquoris Kali hydrici unciam unam,**
Aquae destillatae uncias duas.

In vase porcellanico calefactis paullatim adde

Resinae Guajaci pulveratae **drachmas sex**, aut tantum, ut ultima portiuncula non soluta remaneat,

aquam evaporatione diminutam restituendo. Tum liquor filtratus leni calore ad massae pilularum densitatem evaporet. Serva in vase bene clauso.

Sit coloris e subviridi fusci.

Sapo Hispanicus albus.

Weifse spanische Seife.

Sapo jalapinus.

R. **Resinae Jalapae,**
Saponis medicati, singulorum **uncias duas,**
Spiritus Vini rectificati uncias quatuor aut quantum requiritur, ut leni digestione emolliantur.

In balneo vaporis sub continua agitatione ad massam pilularum evaporent, ut totum pondus sit **unciarum quatuor cum dimidia.**

Sit e fusco griseus, in spiritu vini rectificatissimo solubilis.

Sapo medicatus.

R. **Adipis suilli recentis,**
Olei Olivarum Provincialis, singulorum **libram unam.**

In vase porcellanico leni calore liquatis sensim admisce
Liquoris Natri hydrici recenter parati **uncias quatuordecim.**

Mixta calori balnei vaporis (40 ad 50° C.) per horas tres quatuorve expone, intervallis brevibus agitando et paullatim **Aquae destillatae uncias quatuor** ad sex aut **tantum** affundendo, ut homogenea reddantur, donec indurare incipiant. Vas per duos ad tres dies loco modice

calido sepone, donec sapo plane induratus appareat, quem exemtum et in frustula dissectum cum **Aquae destillatae partibus duabus** calore balnei vaporis inter perpetuam agitationem solve. Quo facto sensim adde

Liquoris Natri hydrici uncias tres

et mixta eidem temperaturae per tres ad quatuor horas, saepius agitando, expone.

Tunc admisce liquorem filtratum e

Natrii chlorati unciis sex

et

Aquae destillatae unciis octodecim

paratum, et calorem auge, agitationem continuando, ad temperaturam circiter 90 ad 100° C., ut sapo perfecte separetur.

Post refrigerationem saponem lixivio innatantem aufer, aqua destillata ablue, inter linteum sensim at fortiter exprime, loco calido exsicca et in pulverem redactum in vase bene clauso serva.

Sit pulvis albus, odore non rancido, sapore miti, a metallis plane, a natro hydrico et carbonico nec non a natrio chlorato quantum fieri potest liber.

Sapo terebinthinatus.

Balsamum Vitae externum.

R. **Saponis Hispanici albi pulverati,**
Olei Terebinthinae, singulorum **libram unam,**
Kali carbonici depurati uncias duas.

Misceantur exacte, ut fiat massa densitatis unguenti, alba demum flavescens.

Sapo viridis.

Grüne Seife.

Scammonium Halepense.

Aleppisches Scammonium.

Convolvulus Scammonia L. Convolvulaceae.

Gummi-resina in frustis cinereis, levibus, opacis, impolitis, fractura paullum nitentibus, aridis nec pinguibus, saporis acris. In aqua partim solutione subviridi turbida, in spiritu vini rectificatissimo partim limpida solvitur. Est succus aëre induratus radicis tuberosae plantae supra dictae, ex Oriente advectus. Rejiciatur quae, Smyrnaca dicta, in placentis nigricantibus prostat. Caute servetur.

Sebum ovillum.

Hammeltalg.

Secale cornutum.

Mutterkorn.

Secale cereale L. Gramineae.

Grana subcylindrica, plerumque curvata, saepe per longitudinem rugosa, 6 lineas ad pollicem et quod excurrit longa, extus colore e violaceo et fusco griseo, intus versus ambitum praesertim colore livido subviolaceo, sapore subacri. Sunt fructus monstrosi Secalis cerealis.

Praestant e spicis virescentibus desumtae. In vasis bene obturatis nec ultra annum serventur.

Semen Anisi stellati.

Sternanis.

Illicium anisatum L.? Magnoliaceae.

Capsulae (carpellae) 6 ad 8 in orbem positae, subcompressae, extus rugosae, intus laevigatae, e griseo fuscae, uniloculares, margine superiore dehiscentes, semina solitaria compressa nitida continentes, odoris aromatici grati, saporis subdulcis. Frutex in China (ut videtur) indigenus, unde semen ad nos adfertur.

Semen Anisi vulgaris.

Anis.

Pimpinella Anisum L. Anisum vulgare Gaertn. Umbelliferae.

Fructus subglobosi et subconici, striati, striis dorsalibus utrinque 5, pubescentes pilis brevissimis, subvirides, saporis subdulcis, odoris aromatici. Colligitur semen e planta in variis locis Germaniae culta.

Semen Cacao.

Kakaobohnen.

Theobroma Cacao L. Buettneriaceae.

Praeferendum quod e Caracas ad nos advehitur.

Semen Cannabis.

Hanfsamen.

Cannabis sativa L. Urticeae.

Nuculae subglobosae, bivalves, laeves, colore e griseo subviridi, semine unico albo, sapore subdulci mucilaginoso. Planta orientalis apud nos culta.

Semen Carvi.

Kümmel.

Carum Carvi L. Umbelliferae.

Fructus oblongi utrinque attenuati, medio contracti, dorso utrinque tristriato, glabri, e fusco cinerei, et odoris et saporis aromatici. Planta frequens in pratis Germaniae, nec non culta.

Semen Cinae.

Semen Santonici. Zittwersamen. Wurmsamen.

Artemisia contra Vahl.? Compositae-Artemisiaceae.

Flores compositi clausi, prismatici, involucri squamis imbricatis, exterioribus viridibus carinatis, rugulosis, glabris, interioribus margine magis minusve expanso membranaceo luteolo et splendente, saporis amari et aromatici. Adferuntur nunc e Palaestina.

Semen Colchici.

Zeitlosensamen.

Colchicum autumnale L. Melanthaceae.

Semina magnitudinem grani Panici miliacei adaequantia, subglobosa, testa paullulo scabriore, e luteo fusca, umbilico prominente. Planta in pratis Germaniae frequens, floret autumno et altero anno caulem cum foliis et fructibus profert, semenque mense Junio maturat, quo tempore colligendum.

Semen Coriandri.

Koriandersamen.

Coriandrum sativum L. Umbelliferae.

Fructus globosi, achaeniis cohaerentibus, costis tenuissimis, glabri, colore e fusco subflavo, calycis vestigiis magis minusve remanentibus, et odore et sapore aromatico. Planta annua ex Oriente, uti videtur, oriunda, in variis Europae regionibus colitur.

Semen Cydoniae.

Quittenkörner.

Cydonia vulgaris Persoon. Rosaceae-Pomaceae.

Semina oblonga, subcompressa, hinc rotundata, illinc acuta, fusca, plerumque conglobata, multa mucilagine, in aqua solubili, obducta. Arbor, quae poma seminaque profert, ex Oriente, uti videtur, oriunda, in variis Europae

regionibus colitur. Cave a seminibus pomorum Mali et baccarum Vitis viniferae immixtis.

Semen Foeniculi.

Fenchelsamen.

Anethum Foeniculum L. Foeniculum vulgare Gaertn. Umbelliferae.

Fructus aut achaenia oblonga, saepe curvata, e fusco subviridia, costis tribus dorsalibus eminentibus luteolis, odoris subaromatici, saporis subdulcis. Colitur in Germania et Italia.

Semen Lini.

Leinsamen.

Linum usitatissimum L. Linoideae.

Semina ovata, compressa, glaberrima, nitentia, fusca. Colliguntur e planta apud nos frequenter culta.

Semen Lycopodii.

Bärlappsamen. Streupulver.

Lycopodium clavatum L. Filices.

Pulvis subtilissimus, subflavus, aquam respuens, flammae inspersus deflagrans, semina (sporae) plantae sistens. Ne commutetur cum polline Pinorum aliarumque arborum, quod facilius in glomerulos coit. Filix in locis sterilibus sylvaticis Germaniae borealis frequens, ubi semina mensibus Augusto et Septembri colligantur.

Semen Papaveris.

Mohnsamen.

Papaver somniferum L. α. album.
Papaveraceae.

Semina parva subglobosa, subrugosa, alba, saporis dulcis. Planta frequenter apud nos colitur.

Semen Petroselini.

Petersiliensamen.

Petroselinum sativum Hoffm. Umbelliferae.

Semina (achaenia) parva, lineae longitudinem adaequantia, oblonga, lateribus contraeta, dorso tricostata, subviridia, calycis vestigio nullo, odoris aromatici, saporis acris aromatici. Planta in Europa occidentali spontanea, frequenter apud nos in hortis colitur.

Semen Phellandrii seu Foeniculi aquatici.

Wasserfenchelsamen.

Phellandrium aquaticum L. Umbelliferae.

Semina (fructus aut achaenia) ad 2 lineas longa, oblonga, utrinque dorso tricostata, costis rotundatis, lateribus subcontractis, fusca, calycis vestigiis conspicuis, saporis ex amaricante aromatici, odoris peculiaris. Planta frequens in aquosis Germaniae. Ne commutentur semina

cum seminibus Cicutae virosae aut Sii latifolii, a quibus forma oblonga nec subglobosa aut ovali, tum colore siccorum fusco nec subviridi differunt.

Semen Sabadillae.

Sabadillsamen.

Schoenocaulon officinale A. Gray. Asagraea officinalis Lindl. Veratrum officinale Schlechtend. Melanthaceae.

Semina 2 lineas longa, subteretia, saepe curvata, hinc acuta rugosa, e fusco nigra, saporis acerrimi, mixta cum capsulis ternis, unilocularibus, membranaceis, straminei coloris, 6 lineas longis. Planta in Andibus Mexicanis spontanea, unde semina advehuntur. Caute serva.

Semen Sinapis.

Schwarzer Senfsamen.

Sinapis nigra L. Cruciferae.

Semina exigua, globosa, fusca, peracria. Ne commutentur cum seminibus Brassicarum, quae majora et minus acria. Planta annua, in Germania occidentali spontanea, apud nos colitur.

Semen Stramonii.

Stechapfelsamen.

Datura Stramonium L. Solaneae.

Semina reniformia, scrobiculato-scabra, nigra, intus

alba. Colligenda mensibus Augusto et Septembri e planta supra dicta, in Germania ad sepes, vias et in ruderatis frequente, cauteque servanda.

Serum Lactis.

R. **Lactis vaccini libras tres.**
Calefactis sub initio ebullitionis adde
Acidi tartarici pulverati **scrupulum unum.**
Coagulatione peracta liquorem refrigeratum cola.
Sit turbidum, e subflavo album, saporis non acidi.

Serum Lactis aluminatum.

Paretur uti Serum Lactis loco Acidi tartarici **Aluminis** pulverati **drachmam unam** adhibendo et liquorem filtrando.
Sit paullum opalescens, saporis e subdulci austeri.

Serum Lactis tamarindinatum.

Paretur uti Serum Lactis loco Acidi tartarici **Pulpae Tamarindorum unciam unam** adhibendo et liquorem filtrando.
Sit limpidum, e rubro subflavum, saporis acidi.

Sinapismus.

R. **Seminis Sinapis** pulverati **unciam unam.** Admisce
Aquae communis fervidae quantum satis,
ut fiat cataplasma mollioris densitatis.

Solutio arsenicalis.

Solutio Fowleri.

R. **Arsenici albi in frustulis,**
Kali carbonici puri, singulorum **grana sexaginta quatuor.**

Sedulo tritis adde
Aquae destillatae uncias octo.

Coque in cucurbita, usque dum arsenicum perfecte solutum fuerit. Solutis, refrigeratis et filtratis adde
Spiritus Angelicae compositi unciam dimidiam,
Aquae destillatae quantum requiritur, ut pondus totius liquoris sit **unciarum duodecim.**

Cautissime serva et secundum leges dispensa.

Nota. Drachma una et dimidia continent Arsenici albi granum unum.

Species ad Decoctum Lignorum.

R. **Ligni Guajaci** raspati **libras duas,**
Radicis Bardanae,
» **Ononidis,** singularum concisarum **libram unam,**
» **Glycyrrhizae echinatae,**
Ligni Sassafras, singulorum concisorum **libram dimidiam.**

Misceantur.

Species ad Infusum pectorale.

R. **Radicis Althaeae uncias quatuor,**
» Glycyrrhizae echinatae unciam unam et dimidiam,
» Iridis Florentinae unciam dimidiam,
Foliorum Farfarae uncias duas,
Florum Rhoeados,
» Verbasci,
Seminis Anisi stellati, singulorum **unciam unam.**

Concisa et contusa misceantur.

Species aromaticae.

Loco Specierum pro cucupha.

R. **Foliorum Menthae crispae,**
» Melissae, singulorum **uncias quatuor,**
Florum Lavandulae uncias duas,
Caryophyllorum unciam unam.

Minutim concisa, contusa et a pulvere subtili liberata misceantur.

Serva in vase clauso.

Species laxantes St. Germain.

Species pro Thea St. Germain.

R. **Foliorum Sennae Spiritu Vini extractorum uncias quatuor,**
Florum Sambuci uncias duas cum dimidia,
Seminis Foeniculi,

Seminis Anisi vulgaris, singulorum drachmas decem.

Concisa et contusa misceantur. In dispensatione adde Tartari depurati pulverati drachmas sex.

Spiritus aethereus.

Spiritus sulphurico-aethereus. Liquor anodynus mineralis Hoffmanni.

R. Aetheris partem unam,
Spiritus Vini rectificatissimi partes tres.

Mixta in vasis bene obturandis serva.

Sit limpidus, coloris expers et pond. spec. = 0,810 usque ad 0,815.

Spiritus Aetheris acetici.

Spiritus acetico-aethereus.

R. Aetheris acetici partem unam,
Spiritus Vini rectificatissimi partes tres.

Mixta in vasis bene obturandis serva.

Sit limpidus, coloris expers, non acidus, et pond. spec. = 0,845 ad 0,850.

Spiritus Aetheris chlorati.

Spiritus muriatico-aethereus. Spiritus Salis dulcis.

R. Natrii chlorati exsiccati uncias sedecim,
Mangani oxydati nativi pulverati uncias sex.

In retortam immissis adde

Acidi sulphurici crudi uncias duodecim,

antea cum

Spiritus Vini alcoholisati unciis quadraginta octo

sollicite mixtas. Destillent **unciae quadraginta duae.**

Quod destillavit cum

Magnesiae ustae drachmis tribus aut **quantitate sufficiente,** ut liquor neuter fiat,

conquassetur, tum decantetur et iterata destillatione rectificetur. Serva in lagunculis bene obturatis.

Sit limpidus, coloris expers, non acidus, et pond. spec. = 0,815 ad 0,820.

Spiritus Aetheris nitrosi.

Spiritus nitrico-aethereus. Spiritus Nitri dulcis.

R. **Acidi nitrici fumantis uncias tres.**

Misce valde prudenter cum

Spiritus Vini alcoholisati unciis viginti quatuor.

Destillent e retorta igne lenissimo **unciae viginti.** Adde

Magnesiae ustae drachmam unam

et per viginti quatuor horas sepone, interdum bene agitando. Tum liquorem decantatum novae destillationi subjice, quae, prima uncia prodeunte rejecta, lenissimo calore ad siccum continuetur. Tandem in lagunculis plane replendis et bene obturandis loco frigido serva.

Sit limpidus, coloris fere expers, ab acido plane liber, quamquam tempore facile acescit. Pond. spec. = 0,820 ad 0,825.

Spiritus Ammoniaci caustici Dzondii.

Liquor Ammonii caustici Dzondii.

R. **Calcariae** recenter paratae et pulveratae **libras** quinque,
Ammoniaci hydrochlorati pulverati et siccissimi **libras** duas.

Misceantur quam citissime et in cucurbitam vitream ingerantur ea magnitudine, ut duae partes (e tribus) repleantur. Ceterum apparatus ad parandum liquorem Ammoniaci caustici descriptus adhibeatur, nisi quod lagena intermedia loco aquae

Spiritus Vini rectificatissimi uncias quatuor

et excipulum

Spiritus Vini rectificatissimi, iterata destillatione ad pondus specificum = 0,828 redacti, **libras** quatuor

contineant.

Leni primum igne, tum fortiori gas omnino extricetur, excipulum bene refrigerando. Liquor obtentus in vasis epistomiis vitreis clausis servetur.

Sit limpidus, coloris expers, odoris fortissimi, et pond. spec. = 0,808 ad 0,810. Continet 10 partes Ammoniaci anhydri in 100 partibus.

Spiritus Angelicae compositus.

Loco Spiritus theriacalis.

R. **Radicis Angelicae libram** unam,
» **Valerianae minoris**,
Baccarum Juniperi, singularum **uncias** tres.

Concisis, contusis et in vesicam destillatoriam immissis adde

Spiritus Vini rectificati libras sex,

Aquae communis quantum satis.

Post macerationem per nychthemerum destillent **librae** sex, in quibus solve

Camphorae unciam unam cum dimidia

et filtra.

Sit limpidus, coloris expers.

Spiritus camphoratus.

R. **Camphorae unciam unam,**

Spiritus Vini rectificati libram unam.

Stent loco frigido, interdum agitando, donec camphora soluta fuerit, et filtrentur.

Sit limpidus, coloris expers.

Spiritus Cochleariae.

R. **Herbae Cochleariae florentis recentis libras duodecim.**

Concisis affunde

Spiritus Vini rectificati libras sex,

Aquae communis quantum satis.

Destillent **librae sex.**

Sit limpidus, coloris expers.

Spiritus Ferri chlorati aethereus.

Spiritus sulphurico - aethereus ferruginosus. Liquor anodynus martiatus. Loco Tincturae tonico-nervinae Bestuscheffii.

R. Liquoris Ferri sesquichlorati drachmas duas,
Spiritus aetherei uncias quatuor.

Mixta in lagenis vitreis cylindraceis bene obturatis radiis solis expone, donec color e fusco flavus plane evanuerit. Postea vero loco non aprico, vas interdum aperiendo, sepone, ut colorem subflavum adipiscantur. Serva in vasis epistomio vitreo bene obturatis.

Sit limpidus, colore subflavo, et pond. spec. = 0,835 ad 0,840. Continet partem unam ferri in 100 partibus.

Spiritus Formicarum.

R. Formicarum recenter collectarum et a quisquiliis mundatarum libras duas,
Spiritus Vini rectificati libras quatuor,
Aquae communis quantum satis.

Destillent leni igne librae quatuor.

Sit limpidus, coloris expers.

Spiritus Juniperi.

R. Baccarum Juniperi contusarum libram unam,
Spiritus Vini rectificati libras quatuor,
Aquae communis quantum satis.

Post macerationem per nychthemerum destillent **librae quatuor.**

Sit limpidus, coloris expers.

Spiritus Lavandulae.

Paretur e **Floribus Lavandulae** uti spiritus Juniperi.

Sit limpidus, coloris expers.

Spiritus saponatus.

R. **Saponis Hispanici albi** rasi **libram unam,**
Spiritus Vini rectificati libras tres,
Aquae Rosarum libram unam.

Solve digerendo, filtra et loco non nimis frigido serva.

Sit limpidus, colore subflavo.

Spiritus Vini.

Weingeist.

Pond. specif. = 0,840 ad 0,845.

Spiritus Vini alcoholisatus.

R. **Kali acetici** sicci (e Kali carbonico depurato loco Kali carbonici puri parati) **libram unam.**

Infunde

Spiritus Vini rectificatissimi libras quatuor.

Mixta per nychthemerum, interdum agitando, seponan-

tur; tum in balneo aquae destillent quamdiu spiritus transit. Serva in vasis bene obturatis.

Kali aceticum remanens siccandum et ad novas destillationes adhibendum est.

Sit limpidus, coloris expers et pond. spec. = 0,810 ad 0,813.

Spiritus Vini rectificatissimus.

Alcohol Vini.

Spiritus Vini cum **Carbonum vegetabilium** recenter ustorum et grosso modo pulveratorum **sedecima parte** mixtus per aliquod tempus, interdum agitando, seponatur. Dein decantatus e vesica destillatoria spiritus destillet ponderis specifici 0,833 ad 0,835.

Sit limpidus, coloris expers, ab oleo graveolente, ***Fuselöl*** dicto, plane liber.

Spiritus Vini rectificatus.

R. **Spiritus Vini rectificatissimi partes septemdecim,**
Aquae destillatae partes septem.

Misce.

Sit limpidus, coloris expers et pondus spec. = 0,897 ad 0,900.

Spongiae ceratae.

Spongiae marinae foraminibus parvis perviae, a partibus heterogeneis liberatae et exsiccatae **Cerae**

flavae liquefactae probe immergantur, ope preli calefacti fortiter exprimantur, et, cum refrixerint, a cera superflua mundentur.

Spongiae compressae.

Spongias marinas electas foraminibus parvis pervias, a partibus heterogeneis liberatas, in frusta oblonga discinde, aqua communi fervida humecta et funiculis dense et fortiter ita constringe, ut e singulis frustis cylindri formentur ad digitum fere longi, qui constricti serventur.

Spongiae marinae.

Meerschwämme. Badeschwämme.

Stibio-Kali tartaricum.

Tartarus stibiatus. Tartarus emeticus.

R. **Stibii oxydati uncias quatuor,**

Tartari depurati a calcaria tartarica liberati **uncias quinque,**

Aquae destillatae libras quatuor.

In vas porcellanicum immissa per horam coque, aquam evaporatam semper restituendo, tum evaporatione diminue, donec sint ponderis circiter **librarum trium.** Soluta adhuc ferventia filtra et ad crystallisationem repone. Liquor remanens denuo in crystallos redigatur.

Crystallos collectas, ablutas, siccatas et terendo in pulverem subtilissimum redactas in vase bene clauso caute serva.

Sit pulvis albissimus, in aquae partibus quindecim solubilis.

Stibium.

Regulus Antimonii. Spiefsglanz.

Sit liberum ab arsenio, plumbo et cupro.

Stibium oxydatum.

Oxydum stibicum.

R. **Stibii sulphurati nigri** pulverati **libram unam.**

In cucurbitam vitream satis amplam immitte et affunde

Acidi hydrochlorati crudi libras quatuor.

Sub divo calefiant donec omnis evolutio gasis cessaverit. Solutum refrigeratumque filtretur et evaporatione sub divo ad **libram unam cum dimidia** diminuatur.

Tum inter perpetuam agitationem in vas effunde, quod

Aquae communis libras triginta

continet.

Si liquor supernatans, addita aqua, non amplius turbatur, praecipitatum in manicam linteam immitte et **Aqua communi** perfecte edulcora.

Deinde cum **Aqua destillata** in vase porcellanico misce et massae pultiformi inter agitationem et digestionem adde liquorem filtratum, e

Natri carbonici depurati unciis duabus et

Aquae destillatae unciis sex

paratum, aut hujus liquoris **tantum** ut reactionem alcalinam debilem prodat et acidum carbonicum non amplius extricetur.

Tunc filtretur et stibium oxydatum bene eluatur et siccetur.

Sit pulvis albus, qui non nisi ad praeparationem Stibio-Kali tartarici paretur.

Stibium sulphuratum aurantiacum.

Sulphur stibiatum aurantiacum. Sulphur auratum Antimonii.

R. **Natri carbonici crudi libras tres.**

Solve in lebete ferreo in

Aquae communis libris quindecim,

admisceque inter perpetuam agitationem

Calcariae recenter paratae **libram unam**, cum

Aquae communis libris tribus

ad massam pultiformem redactam,

Stibii sulphurati nigri laevigati libras duas,

Sulphuris sublimati uncias quatuor.

Coque per horam unam et dimidiam aut donec color griseus omnino disparuerit, aquam evaporatione diminutam semper restituendo, et filtra. Residuum cum **Aquae communis** circiter **libris sex** denuo ebulliat, tum filtra, nec non **Aqua communi fervida** bene edulcora. Liquores obtenti in crystallos redigantur, quae cum **Aqua destillata**, cui **vicesima pars Liquoris Natri hydrici** indita sit, abluantur. Harum **Crystallorum** in aëre siccatarum **libram unam** in **Aquae communis libris quinque** solve, tum filtra et dilue cum **Aquae communis libris viginti quinque.**

His admiscé sensim, inter agitationem, mixturam ex

Acidi sulphurici crudi unciis quatuor cum dimidia

et

Aquae communis libris octo

paratam, refrigeratam et decantatam. Praecipitatum in filtrum injice, et in eo primum **Aqua communi**, postea **Aqua destillata** perfecte edulcora. Tandem inter chartam bibulam preme, loco obscuro tepido (25° C.) sicca et tritum in vasis bene obturatis a luce remotis serva.

Sit pulvis subtilissimus, colore aurantiaco et odoris expers.

Stibium sulphuratum nigrum.

Sulphuretum Stibii nigrum. Loco Antimonii crudi. Schwefelspiefsglanz.

Massa in frustis e nigro griseis, digitos inquinantibus, splendore metallico, fractura radiosa, in aëre ignita et inde oxydata fumo albo et odore acidi sulphurosi avolans. Constat e stibio et sulphure. Paratur in officinis chemicis.

Sit liberum ab arsenio, plumbo et cupro.

Stibium sulphuratum nigrum laevigatum.

Stibium sulphuratum nigrum laevigatione in pulverem subtilissimum redige.

Stibium sulphuratum rubeum.

Sulphur stibiatum rubeum. Kermes minerale.

R. **Natri carbonici crudi libras duas.**
Solve in lebete ferreo in
Aquae communis libris viginti
ad ebullitionem usque calefactae, tum inter agitationem adde
Stibii sulphurati nigri laevigati unciam unam.

Coque per horas duas, aquam evaporatione diminutam semper restituendo, et liquorem adhuc ferventem in vas, quod paullum **Aquae communis fervidae** continet, statim filtra.

Postquam refrixerit, praecipitatum in filtrum injiciatur, in eo **Aqua destillata** abluatur, donec liquor colore imbutus defluere incipiat et charta exploratoria rubra non amplius mutetur. Tandem inter chartam bibulam preme, loco obscuro tepido (25° C.) exsicca, sedulo contere et in vasis bene obturatis a luce remotis serva.

Sit pulvis subtilissimus, e rubro fuscus, crystallulis conspicuis.

Stipites Dulcamarae.

Bittersüfsstengel.

Solanum Dulcamara L. Solaneae.

Caules ramive calami scriptorii crassitiem adaequantes, angulati, saepe verrucosi et cicatricibus ramorum petiolorumque alternorum notati, cortice exteriore subfusco-flavo, interiore albo, utroque tenui, ligno crassiore subviridi, medulla saepe evanescente, saporis subamaro-

subdulcis. Frutex scandens in sylvaticis paludosisque locis Germaniae frequens. Colligendi caules sero autumno aut primo vere.

Strobili Lupuli.

Hopfen.

Humulus Lupulus L. Urticeae.

Strobili e subfusco lutei, squamis membranaceis, ad basin conspersis pulvere resinoso subflavo, odoris aromatici, saporis amari. Planta apud nos frequenter colitur.

Strychnium nitricum.

Nitras strychnicus.

R. **Nucum vomicarum libras decem.**

Siccentur aliquamdiu loco tepido calore 30 ad 40° C., quo facto in pulverem crassum redigantur. Huic infunde **Spiritus Vini** ponderis specifici 0,900 **libras quindecim,** mixta digere per aliquot horas, ita ut leniter ebulliant, et repone per noctem. Tunc exprime fortiter, et operationem cum residuo pressionis et **Spiritus Vini** ejusdem qualitatis **libris duodecim** adhibitis bis repete.

E tincturis obtentis spiritus destillatione in balneo aquae plane eliciatur, et residuum destillationis in eodem balneo ad extracti spissioris densitatem evaporet. Extractum refrigeratum solvatur in **Aquae communis libris quinque,** solutum filtratumque evaporatione in balneo aquae ad **libras duas** imminuatur, quibus adhuc calentibus **Magnesiae ustae unciam unam et dimidiam** admisce

et mixta per hebdomadem, interdum agitando, repone. Tunc in filtrum immitte, residuum **Aqua frigida** bene elue, providenter sicca et in pulverem redige.

Hunc cum **Spiritus Vini libris duabus** calore 60 ad 70° C. fortiter digere et digestionem, adhibita **eadem copia Spiritus Vini,** bis repete. Tincturae filtratae destillationi in balneo aquae subjiciantur, donec non nisi **aliquot unciae** supersint.

Strychnium post refrigerationem instar pulveris albi crystallini separatum filtro impone, in eo **Spiritu Vini rectificato** sedulo ablue et in **quantitate sufficiente Acidi nitrici** cum **partibus viginti Aquae** diluti caloris ope solve. Solutum filtratumque leni calore evaporet et in crystallos redigatur, quas ablutas et siccatas in vase obturato cautissime serva.

Sint crystalli aciformes, flexiles, albae, sericei splendoris, saporis peramari, in aqua fervida facile, in spiritu vini rectificatissimo difficilius solubiles, in igne plane comburentes et a brucio liberae.

Succinum.

Bernstein.

Frustula pellucida, rarius opaca, nitentia, fragilia, citrina, aut e flavo fusca, prunis imposita odorem peculiarem spargentia. Bitumen hocce in littoribus maris Baltici, praesertim in Borussia, colligitur.

Succus Glycyrrhizae crudus.

Succus Liquiritiae crudus. Roher Lakrizensaft.

Glycyrrhiza glabra L. Leguminosae-Papilionaceae.

Extractum compactum durum, in cylindros formatum, nigrum, fractura nitens, saepissime foliis Lauri involutum, saporis dulcis subacris, in aqua relictis heterogeneis solubile. Extrahitur e radicibus plantae in Europa hinc inde cultae. Rejiciatur succus cupro inquinatus.

Succus Glycyrrhizae depuratus.

Succus Liquiritiae depuratus.

Succus Glycyrrhizae crudus in dolio extractorio, stratis altero alteri impositis, stramine interjecto maceretur cum **Aquae communis frigidae** ea quantitate, ut obtegatur, per viginti quatuor horas et liquido ope strophingis emisso maceratio eodem modo, quoties opus erit, cum nova quantitate aquae reiteretur. Liquores perfecte limpidi leni igne ad syrupi tenuioris spissitudinem, tum in balneo vaporis (65 ad 75° C.) ad extracti densitatem evaporent. Massam loco calido siccatam in pulverem redige, quem in vase bene obturato serva.

Sit pulvis fuscus, in aëre facile humescens.

Succus Juniperi inspissatus.

Roob Juniperi.

Baccis Juniperi recentibus contusis affunde **Aquae communis fervidae** quadruplum et post refrigerationem

modice exprime. Liquor subsidendo et colando depuratus primum leni calore, deinde in balneo vaporis (65 ad 75^{0} C.) ad syrupi spissioris densitatem evaporet. In vasis obturatis loco frigido sicco serva.

Sit fuscus, in aqua solutione turbida solubilis.

Succus Sambuci inspissatus.

Roob Sambuci.

Baccae Sambuci maturae recentes calefiant in lebete stanneo, balneo vaporis exposito, continuo agitando, donec dirumpantur, tunc ope preli exprimantur. Succus expressus, subsidendo et colando depuratus, in balneo vaporis (65 ad 75^{0} C.) ad extracti spissioris densitatem evaporet. Tum **singulis libris** succi inspissati adhuc calentis admisce

Sacchari albi pulverati **unciam unam.**

Servetur loco sicco et frigido.

Sit coloris e violaceo fusci, saporis e dulci aciduli, cum aqua solutionem paullum turbidam exhibens.

Sulphur depuratum.

Flores Sulphuris loti.

Sulphur sublimatum abluatur primum **Aqua communi** repetita vice, demum **Aqua destillata**, donec ab acido adhaerente perfecte liberum sit. Tum siccetur et per cribrum trajectum in vase bene obturato servetur.

Sit pulvis citrinus, subtilis, siccissimus, omnis acidi adhaerentis expers.

Sulphur praecipitatum.

Lac Sulphuris.

R. **Calcariae** recenter paratae **libram unam.**

In lebete ferreo cum **Aquae communis libris sex** in massam pultiformem redactae adde

Sulphuris sublimati libras duas,

Aquae communis libras viginti quatuor.

Mixta sub continua agitatione et aquam evaporatione diminutam semper restituendo per horam coque et per manicam linteam filtra. Residuum cum **Aquae communis libris quindecim** per horam dimidiam iterum coque, filtra et quod remansit, **Aqua fervida** ablue. Liquores obtentos in lagenis bene obturatis per aliquot dies sepone, tum filtra et quod defluxit, cum ea quantitate **Aquae communis** dilue, ut sit ponderis **librarum quadraginta.** Tum liquorem huncce in vas idoneum immitte, et inter agitationem sensim admisce mixturam ex

Acidi hydrochlorati libris tribus et

Aquae communis libris sex

paratam, aut quantum hujus mixturae **sufficit**, ut parva portio liquoris filtro separata, acido admixto, non nisi paullum turbida appareat. Praecipitatum inde natum illico in manicam conjice, **Aqua communi** bene ablue, et ex illa exemtum in mixturam ex

Acidi hydrochlorati unciis quatuor et

Aquae communis libris quatuor

paratam immitte. Stent per aliquot horas, interdum agitando, tum iterum in manicam immitte, residuum in eo primum **Aqua communi**, demum **Aqua destillata** sedulo ablue,

loco tepido (25 ad 35° C.) sicca et tritum in vasis bene obturatis serva.

Sit pulvis subtilissimus, e pallido flavus, odoris expers, et igne plane avolans.

Sulphur sublimatum.

Flores Sulphuris. Schwefelblumen.

Pulvis citrinus subtilis, ob acidum sulphuricum adhaerens saepissime acidulus.

Paratur in officinis propriis.

Cave ne selenio aut arsenio sulphuratis sit inquinatum.

Syrupus Althaeae.

R. **Radicis Althaeae concisae uncias duas.**

Macera per aliquot horas cum

Aquae communis libris tribus,

cola sine expressione et in colatura **unciarum triginta** solve

Sacchari albissimi libras quatuor.

Ebullitione unica fiat syrupus.

Sit coloris subflavi.

Syrupus Amygdalarum.

Syrupus emulsivus.

R. **Amygdalarum dulcium uncias octo,**

» **amararum uncias duas.**

In aqua communi frigida macerentur per noctem et decorticentur. Tum in mortario lapideo ope pistilli lignei contusis sensim adde

Aquae communis uncias sedecim,

Aquae Florum Aurantii uncias tres.

Exprime fortiter, cola per pannum laneum et in colatura **unciarum viginti** solve

Sacchari albissimi libras tres.

In balneo aquae fiat syrupus coloris albidi.

Syrupus Balsami Peruviani.

Syrupus balsamicus.

R. **Balsami Peruviani unciam unam.**

Digere in vase clauso cum

Aquae communis fervidae libra una

per aliquot horas. In liquoris post refrigerationem decantati et filtrati **unciis decem** solve

Sacchari albissimi libram unam cum dimidia,

et unica ebullitione fiat syrupus.

Sit coloris subflavi.

Syrupus Cerasorum.

R. **Cerasorum acidorum recentium quantum placet.**

Contusa cum nucleis stent per triduum, tum succum exprime, quem sepone, donec fermentatione peracta limpidus appareat. In hujus succi filtrati **unciis viginti** solve

Sacchari albissimi libras tres.

Semel ebulliendo fiat syrupus.

Sit coloris atro-purpurei.

Syrupus Cinnamomi.

R. **Cassiae cinnamomeae** grosso modo pulveratae **un-**
cias duas,
Aquae Cinnamomi spirituosae libram unam,
» **Rosarum uncias duas.**

Digerantur in vase clauso per biduum et filtrentur. In liquoris filtrati **unciis undecim** blando calore solve
Sacchari albissimi libram unam cum dimidia,
et unica ebullitione fiat syrupus coloris e rubente fusci.

Syrupus communis.

Gemeiner Syrup.

Syrupus Corticis Aurantii.

R. **Corticis Fructus Aurantii** a parenchymate interno albo mundati **uncias quatuor.**

Minutim concisis affunde
Vini Gallici albi libras duas cum dimidia.

Macera per biduum in vase clauso, exprime et filtra. In **unciis viginti duabus** hujus liquoris solve
Sacchari albissimi libras tres.

Semel ebulliendo fiat syrupus coloris e subflavo fusci.

Syrupus Croci.

R. **Croci unciam dimidiam,**
Vini Gallici albi libram unam.

Macerentur per nychthemerum. In liquoris expressi et filtrati **unciis undecim** solve

Sacchari albissimi libram unam cum dimidia,

et semel ebulliendo fiat syrupus coloris e fusco flavi.

Syrupus Florum Aurantii.

Syrupus Florum Naphae. Loco Syrupi Capillorum Veneris.

R. **Sacchari albissimi libram unam cum dimidia.**

Solve in

Aquae Florum Aurantii unciis decem.

Semel ebulliendo fiat syrupus coloris expers.

Syrupus Glycyrrhizae.

Syrupus Liquiritiae.

R. **Radicis Glycyrrhizae glabrae** concisae **uncias octo.**

Macera per noctem in **Aquae communis libris tribus.**

Liquor expressus et colatus semel ebulliat, tum evaporet leni calore, ita ut post refrigerationem et filtrationem supersint **unciae quatuordecim**, in quibus solve

Sacchari albissimi,

Mellis depurati, singulorum **libras duas.**

Ebullitione unica fiat syrupus coloris e flavo fusci.

Syrupus Ipecacuanhae.

R. **Radicis Ipecacuanhae** contusae **drachmas tres,**

Aquae communis uncias decem cum dimidia,

Spiritus Vini rectificatissimi drachmas decem.

Stent in digestione per horas viginti quatuor, tum filtra. In liquoris filtrati unciis undecim solve

Sacchari albissimi libram unam cum dimidia.

Fiat semel ebulliendo syrupus coloris subflavi.

Syrupus Rhei.

R. **Radicis Rhei** concisae **uncias tres,**

Cassiae cinnamomeae contusae **drachmas sex,**

Kali carbonici puri drachmas duas,

Aquae communis libras duas.

Macerentur per noctem. In colatura **unciarum viginti** solve

Sacchari albissimi libras tres,

et fiat semel ebulliendo syrupus coloris e fusco rubri.

Syrupus Rubi Idaei.

Paretur e **Baccis Rubi Idaei** recentibus et contritis, uti syrupus Cerasorum.

Sit coloris rubri.

Syrupus Senegae.

R. **Radicis Senegae** concisae **unciam unam,**

Aquae communis uncias undecim,

Spiritus Vini rectificatissimi drachmas undecim.

Macera per biduum, tum fortiter exprime et filtra. In liquoris filtrati **unciis undecim** solve

Sacchari albissimi libram unam et dimidiam.

Fiat semel ebulliendo syrupus coloris subflavi.

Syrupus Sennae cum Manna.

Syrupus Mannae Pharmac. Boruss. Ed. 3. Loco Syrupi mannati.

R. **Foliorum Sennae** concisorum **uncias quatuor,**
Seminis Foeniculi contusi **unciam dimidiam,**
Aquae communis fervidae **libras duas.**

Stent in vase clauso per aliquot horas.
In liquoris expressi et filtrati **unciis octodecim** solve
Sacchari albissimi libras duas,
Mannae libram dimidiam.

Ebulliant semel, ut fiat syrupus coloris fusci.

Syrupus simplex.

Syrupus Sacchari. Syrupus albus.

R. **Sacchari albissimi libras tres.**
Solve in
Aquae communis unciis viginti.
Semel ebulliendo fiat syrupus coloris expers.

Syrupus Spinae cervinae.

Syrupus domesticus.

Paretur e **Baccis Spinae cervinae recentibus** et perfecte maturis, uti syrupus Cerasorum.

Sit coloris e violaceo rubri.

Syrupus Succi Citri.

Syrupus Acetositatis Citri.

Paretur e **Succo Citri** recenter expresso, defaecato et filtrato, ceterum uti syrupus Cerasorum.

Sit coloris subflavi.

Nota. Omnes syrupi sat refrigerati in vasa bene sicca immittantur, et in hisce bene clausis loco frigido serventur.

Sint limpidi, excepto syrupo Amygdalarum. Majori eorum parti est pond. specif. = 1,320 ad 1,330.

Tamarindi.

Fructus Tamarindorum. Tamarinden.

Tamarindus indica L. Leguminosae-Caesalpinieae.

Pulpa leguminum e fusco nigra, seminibus interjacentibus, compressis, fuscis, interdum fibris lignosis pertexta. Sit saporis grati acidi. Arbor in India orientali indigena, unde ad nos pulpa adfertur. Rejiciatur pulpa sapore acerbo et colore fusco distinguenda, nec non cupro inquinata.

Tartarus boraxatus.

Cremor Tartari solubilis.

R. **Boracis libram dimidiam.**

In vase porcellanico in

Aquae destillatae bullientis libris quinque

solutae adde

Tartari depurati a calcaria tartarica liberati **libram unam cum dimidia.**

Liquor filtratus leni calore in balneo vaporis evaporet, donec massam tenacem et portiuncula hujus refrigerata friabilem referat. Tunc massa adhuc calida e vase eximatur, in frusta extenuata chartae imponatur, leni calore siccetur et in pulverem redacta statim in vitrum calefactum immittatur, in quo bene clauso servetur.

Sit pulvis albus, facile humescens, saporis acidi, in aquae aequali copia solubilis.

Tartarus crudus.

Bitartras kalicus cum Aqua crudus. Roher Weinstein.

Massa compacta in crustis crystallinis, albida aut rubens, acida, e kali, acido tartarico et aqua constans, principio tinctorio aliisque heterogeneis immixtis. Obtinetur e doliis, quae vino conservando inservierunt, praesertim in Gallia.

Tartarus depuratus crystallisatus.

Crystalli Tartari. Bitartras kalicus cum Aqua depuratus. Weinsteinkrystalle.

Sal compactus in crustis crystallis duris, albis, saporis acidi, in aquae frigidae partibus 170 ad 180, fervidae partibus 18 solubilis, e kali, acido tartarico et aqua constans. Plerumque calcaria tartarica immixta est. Paratur in officinis chemicis depuratione tartari crudi praesertim in Europa meridionali.

Sit ab inquinamentis metallicis plane liber.

Tartarus depuratus pulveratus.

Tartarus depuratus. Cremor Tartari. Bitartras kalicus cum Aqua depuratus pulveratus.

Est pulvis subtilissimus et albissimus Tartari depurati crystallisati.

Ad usum pharmaceuticum a calcaria tartarica modo qui sequitur liberatur:

Tartari depurati pulverati **libris decem**

affunde

Aquae destillatae libras totidem,

Acidi hydrochlorati crudi libram unam.

Mixta digere in balneo vaporis, interdum agitando, per aliquot horas, tum per nychthemerum repone; postea in manicam linteam immitte et primum **Aqua communi** demum **Aqua destillata** elue, donec liquor defluens ab acido hydrochlorato quam maxime liber sit. Residuum calore modico sicca.

Terebinthina cocta.

Gekochter Terpenthin.

Pinus sylvestris L. et aliae Abietinae.
Coniferae.

Resina friabilis, subflava, tritura alba, plerumque torta, odore debili. Est residuum destillationis olei Terebinthinae.

Terebinthina communis.

Gemeiner Terpenthin.

Pinus sylvestris L., Pinus Pinaster Lamb. et Abies excelsa Dec. Coniferae.

Balsamum naturale subfluidum, tenax, sordide subflavum, turbidum, odoris peculiaris, saporis amari et acris, e trunco sauciato Pinorum stillans, praesertim Pini Pinastri, ex Gallia advectum.

Terebinthina laricina.

Terebinthina Veneta. Venetianischer Terpenthin.

Pinus Larix L. Larix europaea Dec. Coniferae.

Balsamum naturale paullum spissum, tenax, pellucidum, subflavum, odoris peculiaris, saporis amari et acris, e trunco sauciato arboris supra dictae stillans, e Tergeste praesertim advectum.

Tinctura Absinthii.

R. **Herbae Absinthii uncias sex.**

Minutim concisis affunde

Spiritus Vini rectificati libras tres.

Macera per octo dies in vase clauso saepe agitando, tum exprime et filtra.

Sit coloris e viridi fusci.

Tinctura Aconiti.

R. **Herbae Aconiti** minutim concisae **unciam unam,**
Spiritus Vini rectificati libram unam.

Ceterum paretur uti tinctura Absinthii, sed caute servetur.

Sit coloris viridis.

Tinctura Aloës.

R. **Aloës** contusae **uncias duas,**
Spiritus Vini rectificatissimi libram unam.

Macera in vase clauso per quatuor dies, saepius agitando, tum filtra.

Sit coloris e nigro fusci.

Tinctura amara.

R. **Herbae Centaurii minoris,**
Fructuum Aurantii immaturorum,
Radicis Gentianae rubrae, singulorum **uncias duas,**
» **Zedoariae unciam unam.**

Concisis et contusis affunde
Spiritus Vini rectificati libras tres.

Ceterum paretur uti tinctura Absinthii.

Sit coloris fusci paullum subviridis.

Tinctura Arnicae.

R. **Florum Arnicae** concisorum **unciam unam cum dimidia,**
Spiritus Vini rectificati libram unam.

Ceterum paretur uti tinctura Absinthii.
Sit coloris e subfusco flavi.

Tinctura aromatica.

R. **Cassiae cinnamomeae uncias duas,**
Cardamomi minoris,
Caryophyllorum,
Radicis Galangae,
» **Zingiberis**, singulorum unciam dimidiam.
Grosso modo pulveratis affunde
Spiritus Vini rectificati libras duas.
Ceterum paretur uti tinctura Absinthii.
Sit coloris e fusco rubri.

Tinctura aromatica acida.

Loco Elixirii Vitrioli Mynsichti.

Paretur uti tinctura aromatica, nisi quod **Spiritus Vini rectificati libris duabus** ante maccrationem addatur
Acidi sulphurici rectificati uncia una.
Sit coloris e fusco rubri.

Tinctura Asae foetidae.

Paretur ex **Asa foetida** uti tinctura Aloës.
Sit coloris e subflavo rufi.

Tinctura Benzoës.

Paretur e **Benzoë** uti tinctura Aloës.
Sit coloris e subflavo rufi.

Tinctura Calami.

Paretur e **Radice Calami** uti tinctura Absinthii.
Sit coloris e fusco flavi.

Tinctura Cantharidum.

R. **Cantharidum** grosso modo pulveratarum **unciam unam,**
Spiritus Vini rectificatissimi uncias sex.
Ceterum paretur uti tinctura Absinthii. Caute servetur.
Sit coloris e flavo fusci.

Tinctura Capsici annui.

R. **Fructuum Capsici annui** grosso modo pulveratorum **uncias duas,**
Spiritus Vini rectificatissimi libram unam.
Ceterum paretur uti tinctura Absinthii.
Sit coloris subfusci.

Tinctura Cascarillae.

R. **Corticis Cascarillae** grosso modo pulverati **uncias quinque,**
Spiritus Vini rectificati libras duas.
Ceterum paretur uti tinctura Absinthii.
Sit coloris e rubro fusci.

Tinctura Castorei.

R. **Castorei** exsiccati et grosso modo pulverati **unciam unam,**
Spiritus Vini rectificatissimi uncias novem.

Digere per quatuor dies in vase clauso saepe agitando, tum exprime et filtra.

Sit coloris subfusci.

Tinctura Castorei aetherea.

R. **Castorei** exsiccati et grosso modo pulverati **unciam unam,**
Spiritus aetherei uncias novem.

Macera per octo dies in vitro bene clauso subinde agitando, exprime et filtra.

Sit coloris subfusci.

Tinctura Castorei Canadensis.

R. **Castorei Canadensis** grosso modo pulverati **unciam unam,**
Spiritus Vini rectificatissimi uncias sex.

Ceterum paretur uti tinctura Castorei.

Sit coloris obscure fusci.

Tinctura Castorei Canadensis aetherea.

R. **Castorei Canadensis** grosso modo pulverati **unciam unam,**
Spiritus aetherei uncias sex.
Ceterum paretur uti tinctura Castorei aetherea.
Sit coloris fusci.

Tinctura Catechu.

Paretur e **Catechu** uti tinctura Cascarillae.
Sit coloris obscure fusci.

Tinctura Chinae composita.

Elixir roborans Rob. Whyttii.

R. **Corticis Chinae fusci** grosso modo pulverati **uncias tres,**
Radicis Gentianae rubrae,
Corticis Fructus Aurantii a parenchymate interno albo mundati, singulorum minutim concisorum **unciam unam,**
Spiritus Vini rectificatissimi uncias sedecim,
Aquae Cinnamomi simplicis uncias octo.
Ceterum paretur uti tinctura Absinthii.
Sit coloris e rubro fusci.

Tinctura Chinae simplex.

Paretur e **Cortice Chinae fusco** uti tinctura Cascarillae.
Sit coloris e rubro fusci.

Tinctura Cinnamomi.

Paretur e **Cassia cinnamomea** uti tinctura Cascarillae
Sit coloris e rubro fusci.

Tinctura Colocynthidis.

R. **Colocynthidis** a seminibus liberatae et minutim concisae **unciam unam,**
Seminis Anisi stellati contusi **drachmam unam,**
Spiritus Vini rectificatissimi libram unam.
Ceterum paretur uti tinctura Absinthii, sed caute servetur.
Sit coloris e subfusco flavi.

Tinctura Conii.

R. **Herbae Conii maculati recentis libram unam.**
Concisae et in mortario lapideo contusae affunde
Spiritus Vini rectificatissimi aequalem quantitatem.
Macera per quatuor dies in vase clauso, subinde agitando, tum exprime et filtra. Caute serva.
Sit coloris e viridi subfusci.

Tinctura Corticis Aurantii.

R. **Corticis Fructus Aurantii** a parenchymate interno albo mundati et minutim concisi **uncias quinque,**
Spiritus Vini rectificati libras duas.
Ceterum paretur uti tinctura Absinthii.
Sit coloris subfusci.

Tinctura Digitalis.

R. **Foliorum Digitalis** minutim concisorum **uncias duas,**
Spiritus Vini rectificatissimi uncias octo,
Aquae destillatae uncias quatuor.

Ceterum paretur uti tinctura Absinthii, sed caute servetur.

Sit coloris viridis paullum fusci.

Tinctura Ferri acetici aetherea.

R. **Liquoris Ferri acetici uncias novem,**
Spiritus Vini rectificatissimi uncias duas,
Aetheris acetici unciam unam.

Misce.

Sit limpida, coloris fusci, et pond. spec. = 1,065 ad 1,070.

Tinctura Ferri pomati.

R. **Extracti Ferri pomati uncias duas,**
Aquae Cinnamomi spirituosae libram unam.

Solve et filtra.

Sit coloris e fusco nigri.

Tinctura Galbani.

Paretur e **Galbano** uti tinctura Aloës.

Sit coloris subfusci.

Tinctura Gentianae.

Paretur e **Radice Gentianae rubrae** uti tinctura Absinthii.

Sit coloris e flavo fusci.

Tinctura Guajaci ammoniacata.

Tinctura Guajaci ammoniata. Tinctura Guajaci volatilis.

R. **Resinae Guajaci** pulveratae **unciam unam,**
Spiritus Vini rectificatissimi uncias quatuor,
Liquoris Ammoniaci caustici uncias duas.

Macera in vase clauso, saepius agitando, per quatuor dies, tum decanta et filtra. Servetur in vase epistomio vitreo bene clauso.

Sit coloris fusci.

Tinctura Iodi.

R. **Iodi grana quadraginta octo,**
Spiritus Vini rectificatissimi unciam unam.

Solve et tincturam decantatam in vase epistomio vitreo bene clauso caute serva.

Sit coloris e rubro fusci.

Tinctura Ipecacuanhae.

R. **Radicis Ipecacuanhae** grosso modo pulveratae **unciam unam,**
Spiritus Vini rectificati uncias octo.

Ceterum paretur uti tinctura Absinthii.
Sit coloris e flavo fusci.

Tinctura Lobeliae.

R. **Herbae Lobeliae minutim concisae unciam unam,**
Spiritus Vini rectificati uncias sex.

Ceterum paretur uti tinctura Absinthii.
Sit coloris e subviridi fusci.

Tinctura Moschi.

R. **Moschi drachmam unam,**
Spiritus Vini rectificati,
Aquae destillatae, singulorum uncias tres.

Macera per octo dies in vase clauso, saepe agitando, tum filtra.

Sit coloris e subrufo fusci obscurioris.

Tinctura Myrrhae.

Paretur e **Myrrha** uti tinctura Aloës.
Sit coloris e subflavo rufi.

Tinctura Nicotianae.

Paretur e **Foliis recentibus Nicotianae rusticae** uti tinctura Conii.

Sit coloris e viridi fusci.

Tinctura Opii benzoica.

Elixir paregoricum.

R. **Opii** pulverati **drachmam unam,**
Acidi benzoici drachmas quatuor,
Camphorae,
Olei Anisi, singulorum **drachmas duas,**
Spiritus Vini rectificati libras duas.

Ceterum paretur uti tinctura Absinthii. Caute serva. Sit coloris flavi, paullum fusci.

Nota. Uncia continet partes solubiles e granis circiter duobus cum dimidio Opii.

Tinctura Opii crocata.

Laudanum liquidum Sydenhami.

R. **Opii** pulverati **uncias quatuor,**
Croci unciam unam et dimidiam,
Caryophyllorum,
Cassiae cinnamomeae, singulorum grosso modo pulveratorum **drachmas duas.**

Infunde

Vini Madeirensis uncias triginta octo.

Ceterum paretur uti tinctura Absinthii. Caute serva. Sit coloris e croceo obscure fusci, et pond. spec. = 1,017 ad 1,020.

Nota. Drachma continet partes solubiles e granis sex Opii.

Tinctura Opii simplex.

Tinctura thebaica. Tinctura Meconii.

R. **Opii** pulverati **uncias quatuor,**
Spiritus Vini rectificati,
Aquae destillatae, singulorum **uncias novemdecim.**

Ceterum paretur uti tinctura Absinthii. Caute serva.

Sit coloris e rubro fusci obscurioris, et pond. spec. = 0,977 ad 0,980.

Nota. Drachma continet partes solubiles e granis sex Opii.

Tinctura Pimpinellae.

Paretur e **Radice Pimpinellae** minutim concisa uti tinctura Cascarillae.

Sit coloris e fusco flavi.

Tinctura Ratanhae.

R. **Radicis Ratanhae** grosso modo pulveratae **uncias quatuor,**
Spiritus Vini rectificati uncias viginti.

Ceterum paretur uti tinctura Absinthii.

Sit coloris e subrufo fusci.

Tinctura Resinae Guajaci.

Paretur e **Resina Guajaci** uti tinctura Aloës.

Sit coloris e subviridi fusci.

Tinctura Rhei aquosa.

R. **Radicis Rhei** in taleolas tenuissimas scissae **unciam unam et dimidiam,**
Kali carbonici puri drachmas tres.

Affunde
Aquae Cinnamomi spirituosae uncias duas,
Aquae destillatae uncias duodecim.

Macera per nychthemerum; tum post expressionem sepone et filtra. Serva in lagunculis bene obturandis, loco frigido.

Sit coloris e rubro fusci obscurioris.

Tinctura Rhei vinosa.

Loco Tincturae Rhei Darelii.

R. **Radicis Rhei** minutim concisae **uncias duas,**
Corticis Fructus Aurantii a parenchymate interno albo mundati et minutim concisi **unciam dimidiam,**
Cardamomi minoris grosso modo pulverati **drachmas duas.**

Affunde
Vini Madeirensis libras duas.

Macera per octo dies in vase clauso, saepius agitando; tunc exprime et admisce
Sacchari albi pulverati uncias tres.

Postquam subsiderint decanta.

Sit coloris e flavo fusci.

Tinctura Scillae.

R. **Radicis Scillae** minutim concisae uncias duas,
Spiritus Vini rectificati uncias duodecim.

Ceterum paretur uti tinctura Absinthii.

Sit coloris flavi.

Tinctura Seminis Colchici.

Paretur e **Semine Colchici** grosso modo pulverato uti tinctura Cascarillae.

Sit coloris subfusci.

Tinctura Stramonii.

Paretur e **Semine Stramonii** grosso modo pulverato uti tinctura Cascarillae, sed caute servetur.

Sit coloris e subfusco flavi.

Tinctura Valerianae.

Paretur e **Radice Valerianae minoris** minutim concisa uti tinctura Cascarillae.

Sit coloris fusci.

Tinctura Valerianae aetherea.

R. **Radicis Valerianae minoris** grosso modo pulveratae unciam unam,
Spiritus aetherei uncias octo.

Macera per octo dies in vase clauso subinde agitando, tum exprime et filtra.

Sit coloris e flavo fusci.

Tinctura Vanillae.

R. Vanillae minutim concisae **unciam unam,**
Spiritus Vini rectificati uncias sex.

Ceterum paretur uti tinctura Absinthii.

Sit coloris e flavo fusci.

Nota. Tincturae sint omnino limpidae, excepta tinctura Rhei vinosa, quae minus limpida. Non licet spiritum vini inter praeparationem consumtum alia spiritus copia restitui. Maceratio fiat temperatura 15 ad 25° C. Serventur loco frigido, non aprico.

Tragacantha.

Gummi Tragacanthae. Traganth.

Astragalus creticus Lam. et Astragalus verus Oliv. Leguminosae-Papilionaceae.

Frustula variae formae, interdum multifarie contorta, subdiaphana, alba et subflava, inodora, in aqua ad mucilaginem spissam intumescentia, saporis fatui. Est succus induratus, qui ex Astragalo cretico desumtus e Graecia, et qui ex Astragalo vero ex Oriente advehitur.

Trochisci Ipecacuanhae.

R. **Radicis Ipecacuanhae** grosso modo pulveratae **drachmas duas.**

Infunde

Aquae communis fervidae drachmas decem.

Stent per aliquot horas loco calido.

Colaturae expressae et filtratae adde

Tragacanthae pulveratae **drachmas duas,**

ut fiat cum

Sacchari albissimi pulverati **unciis sedecim**

massa, ex qua formentur trochisci ponderis granorum quatuor.

Unguentum basilicum.

R. **Olei Olivarum** libras tres,

Cerae flavae,

Colophonii,

Sebi ovilli, singulorum **libram unam,**

Terebinthinae communis libram dimidiam.

Leni calore liquata colentur.

Sit coloris e flavo fusci.

Unguentum Cantharidum.

Unguentum irritans.

R. **Cantharidum** contusarum **uncias duas,**

Olei Olivarum Provincialis uncias octo.

Digere per horas duodecim in balneo vaporis. Post refrigerationem exprime, filtra et **unciis sex** adde

Cerae albae uncias quatuor.

In balneo vaporis liquata et ab igne remota sedulo agitentur, donec refrixerint.

Sit coloris subviridis.

Unguentum cereum.

Loco Unguenti simplicis.

R. **Olei Olivarum Provincialis uncias decem,**
Cerae albae uncias quatuor.

In balneo vaporis liquata agitentur, donec refrixerint.

Sit colore albo.

Unguentum Cerussae.

Unguentum album simplex.

R. **Adipis suilli libras duas,**
Cerussae subtilissime tritae **libram unam.**

Exactissime misce.

Sit albissimum.

Unguentum Elemi.

Balsamum Arcaei.

R. **Elemi,**
Terebinthinae laricinae,
Sebi ovilli,
Adipis suilli, singulorum **uncias quatuor.**

In balneo vaporis liquata colentur.

Sit e subviridi cineraceum aut subflavum.

Unguentum Hydrargyri cinereum.

Unguentum Neapolitanum.

R. **Hydrargyri depurati uncias duodecim,**
Unguenti Hydrargyri cinerei, quale praesto est, **uncias duas.**

Tere ad perfectam Hydrargyri extinctionem.

Tunc admisce

Sebi ovilli uncias octo,
Adipis suilli uncias sedecim,

antea liquatas et refrigeratas.

Sit coloris e subcoeruleo cinerei, Hydrargyri globulis non distinguendis.

Unguentum Hydrargyri rubrum.

Balsamum ophthalmicum rubrum.

R. **Hydrargyri oxydati rubri grana decem,**
Unguenti rosati unciam unam.

Exactissime misceantur.

Sit coloris e flavo rubri.

Nonnisi ad dispensationem paretur.

Unguentum Kalii iodati.

R. **Kalii iodati drachmam unam.**

Tere, additis aliquot guttis **Aquae destillatae,** cum
Unguenti rosati uncia una,

ut fiat unguentum albissimum.

Nonnisi ad dispensationem paretur.

Unguentum Mezerei.

R. **Extracti Mezerei aetherei drachmam unam,**
Unguenti cerei unciam unam.
Misce.

Unguentum Plumbi.

Unguentum plumbicum. Unguentum saturninum.
Ceratum Saturni.

R. **Cerae albae uncias decem,**
Olei Olivarum Provincialis uncias viginti sex.
Liquefactis in balneo vaporis et semirefrigeratis paullatim admisce
Liquoris Plumbi hydrico-acetici uncias tres.
Agitentur donec refrixerint.
Sit coloris albidi.

Unguentum Rosmarini compositum.

Unguentum nervinum.

R. **Adipis suilli libras quatuor,**
Sebi ovilli libras duas,
Cerae flavae,
Olei Lauri, singulorum **libram dimidiam.**
In balneo vaporis liquatis et semirefrigeratis admisce
Olei Rosmarini,
» **Juniperi**, singulorum **uncias tres.**
Sit coloris subviridis.

Unguentum rosatum.

R. **Adipis suilli uncias octo,**
Cerae albae uncias duas.

In balneo vaporis liquatis et semirefrigeratis sensim admisce

Aquae Rosarum uncias duas.

Bene agitando fiat unguentum albissimum.

Unguentum Stibio-Kali tartarici.

Unguentum Tartari stibiati.

R. **Stibio-Kali tartarici subtilissime triti unciam dimidiam,**
Adipis suilli loti uncias duas.

Misce exactissime et fiat unguentum albissimum.

Unguentum Zinci.

Unguentum de Nihilo.

R. **Zinci oxydati drachmam unam,**
Unguenti rosati drachmas novem.

Exactissime misceantur.
Sit unguentum albissimum.

Vanilla.

Vanille.

Vanilla aromatica Swartz et Vanilla planifolia Aiton. Orchideae.

Capsulae immaturae, compressae, 6 ad 8 pollices longae, 2 ad 4 lineas latae, striatae, coloris e fusco atri, saepe crystallulis albis inspersae, seminibus pulpam pinguem subrufam referentibus farctae, odoris benzoini, saporis aromatici. E Mexico ad nos advehitur.

Veratrium.

Veratrinum.

R. **Seminis Sabadillae** grosso modo pulverati **libras decem.**

Infunde

Spiritus Vini libras triginta,

Acidi sulphurici rectificati unciam dimidiam.

Mixta in balneo vaporis per aliquot horas digerantur, ut leniter ebulliant. Post refrigerationem decanta, residuum fortiter exprime et operationem, additis **Spiritus Vini libris viginti** et **Acidi sulphurici rectificati drachmis tribus**, bis repete. E tincturis inde obtentis spiritus in balneo aquae destillet, residuumque exemtum, **libris duabus tribusve Aquae destillatae** additis, in patina porcellanica toties coquatur, quoties portiuncula exemta **Liquore Natri hydrici** admixto praecipitatum praebet.

Liquores ex his coctionibus obtenti in balneo vaporis evaporatione ad **quinque sexve libras** imminuantur, et

post refrigerationem filtrentur. His adde **Liquoris Natri hydrici** eam quantitatem, qua praecipitatum adhuc efficiatur, quod in filtro colligatur, in eo **Aqua destillata** sedulo abluatur et primum in aëre tum calore 35° C. perfecte exsiccetur.

Huic dein admisce **Carbonum ossium** pulveratorum **aequalem copiam** et **Aetheris sextuplum**, quo facto macera, interdum agitando, per aliquod tempus, et post decantationem liquoris macerationem cum residuo et **dimidio Aetheris** repete. E liquoribus inde obtentis et filtratis aether destillatione eliciatur ac residuum leni calore exsiccetur. **Singula uncia** massae remanentis in **Aquae destillatae unciis duodecim**, quibus **Acidi sulphurici diluti uncia dimidia** addita est, solvatur, solutum filtretur, et inter agitationem **tantum Liquoris Ammoniaci caustici** addatur, ut Ammoniacum praevaleat. Praecipitatum nunc enatum in filtro collige, **Aqua destillata** ablue, loco tepido exsicca, prudentissime in pulverem redige, et in vasis clausis cautissime serva.

Sit pulvis albus, calore ad massam resinae similem liquescens, ignitus plane comburens, in aqua vix solubilis, in spiritu vini rectificatissimo facile, in aethere difficilius solvendus, sternutationem vehementem excitans.

Vinum camphoratum.

R. **Camphorae tritae,**
Gummi Arabici pulverati, singulorum **drachmas duas.**

Exactissime mixtis sensim affunde

Vini Gallici albi libram unam.

Sit liquor turbidus, coloris albidi.

Vinum Gallicum album.

Weifser Franzwein.

Vinum Madeirense.

Madeirawein.

Vinum Radicis Colchici.

R. **Radicis Colchici recentis uncias duas.**

Concisis adde

Vini Madeirensis uncias quatuor.

Macera per octo dies, tum exprime et filtra.

Sit coloris e flavo subfusci.

Vinum Seminis Colchici.

R. **Seminis Colchici** grosso modo pulverati uncias quinque,

Vini Madeirensis libras duas.

Ceterum paretur uti vinum Radicis Colchici.

Sit coloris e flavo fusci.

Vinum stibiatum.

Vinum Antimonii Huxhami. Loco Aquae benedictae Rulandi.

R. **Stibio-Kali tartarici grana viginti quatuor.**
Solve in
Vini Madeirensis unciis duodecim.
Filtra et serva in vasis bene clausis.
Sit limpidum, coloris e fusco flavi.

Viscum album.

Mistel.

Viscum album L. Lorantheae.

Ramuli novelli fruticis dichotomi, teretes, ad exortum annulato-articulati, cortice exteriore e viridi subflavo, una cum foliis oppositis, oblongis aut lanceolatis, antrorsum latioribus, obtusis, integerrimis, coriaceis, e flavo viridibus. Planta parasitica in Pinis, Fagis, Tiliis, Pyris etc., rarius Quercubus.

Zincum.

Zink.

Zincum chloratum.

Zincum muriaticum.

R. **Acidi hydrochlorati uncias quinque.**

Calefiant in vase vitreo et sensim adde

Zinci hydrico-carbonici, ut in praeparatione Zinci oxydati obtinetur, **uncias duas aut quantum solvitur.**

Liquorem refrigeratum filtra per vitrum grosso modo contusum, et inter perpetuam agitationem, igne sub finem remissiore, evaporatione exsicca. Massam adhuc calidam in pulverem redige, in vas calefactum statim immitte, et in ipso bene clauso caute serva.

Sit pulvis albus, aëre facillime deliquescens.

Zincum oxydatum.

Oxydum zincicum. Loco Florum Zinci.

R. **Natri carbonici depurati libras duas et dimidiam.**

Solve in

Aquae communis libris triginta.

Solutis et filtratis inter perpetuam agitationem affunde liquorem limpidum e

Zinci sulphurici libris duabus et

Aquae destillatae libris sex

paratum, et mixta repone per aliquot horas.

Tum praecipitatum in manicam linteam immitte, **Aqua destillata** perfecte edulcora et loco tepido sicca.

Postea Zincum hocce hydrico-carbonicum in crucibulo tecto, calore non nimis aucto, igniatur, donec acidum carbonicum expulsum sit. Pulvis refrigeratus in vase bene clauso servetur.

Sit pulvis albus, ignitus flavescens, ab acido carbonico et sulphurico, natro, chloro et metallis alienis liber.

Zincum sulphuricum.

Vitriolum album purum. Vitriolum Zinci. Sulphas zincicus cum Aqua.

R. **Zinci** in frustulis **libram unam et dimidiam.**

Infunde

Acidi sulphurici crudi libras duas, cum

Aquae communis libris decem

antea prudenter mixtas.

Reponantur mixta inter frequentes agitationes loco demum calido, donec acidum non amplius agat. Liquori per aliquot dies reposito, filtrato et calefacto admisce

Liquoris Chlori libras duas ad **tres** aut **tantum,** ut fortem odorem Chlori spargat.

Ab hacce mixtura **unciis duabus quatuorve** separatis adde liquoris e

Natri carbonici depurati parte una et

Aquae destillatae partibus tribus

parati **tantum**, ut praecipitatio fiat.

Praecipitatum filtro separatum, bene elutum et adhuc humidum cum mixtura residua calefacta misce et inter

frequentem agitationem repone, donec portiuncula filtratione separata ferri praesentiam non indicet. Liquorem filtratum, additis **unciis duabus Acidi sulphurici diluti**, in crystallos redige, quae colligantur, quamdiu elotae a Zinco chlorato admixto liberae apparent. Tum siccentur et in vasis bene clausis caute serventur.

Sint crystalli albae, initio diaphanae, demum superne fatiscentes, saporis styptici, in aquae partibus duabus et dimidia solubiles, a zinco chlorato et metallis alienis liberae.

REAGENTIA.

Acetum concentratum.
Acidum hydrochloratum.
Acidum nitricum.
Acidum sulphuricum.
Acidum sulphuricum dilutum.
Aether.
Ammoniacum carbonicum,
in Aquae destillatae partibus quinque solutum.
Ammoniacum oxalicum,
in Aquae destillatae partibus viginti quinque solutum.
Aqua hydrosulphurata.
Argentum nitricum,
in Aquae destillatae partibus quindecim solutum.
Argentum sulphuricum,
in Aquae destillatae partibus centum solutum.
Baryum chloratum,
in Aquae destillatae partibus novem solutum.
Baryta nitrica,
in Aquae destillatae partibus novemdecim soluta.

Charta exploratoria coerulea.
Charta exploratoria rubra.
Cuprum sulphuricum,
in Aquae destillatae partibus quinque solutum.
Ferro-Kalium cyanatum flavum,
in partibus novem Aquae destillatae solvendum.
Ferro-Kalium cyanatum rubrum,
in partibus quatuor Aquae destillatae solvendum.
Ferrum sulphuratum.
Ferrum sulphuricum oxydulatum.
Hydrargyrum bichloratum,
in Aquae destillatae partibus novemdecim solutum.
Liquor Ammoniaci caustici.
Liquor Ammoniaci hydrosulphurati.
Liquor Ferri sesquichlorati,
cum partibus quatuor Aquae destillatae dilutus.
Liquor Natri hydrici.
Natrum carbonicum,
in Aquae destillatae partibus quatuor solutum.
Plumbum aceticum,
in partibus novem Aquae destillatae solvendum.
Spiritus Vini absolutus.
Spiritus Vini alcoholisatus.
Tinctura Gallarum.

TABULA A.

praeparata indicans, quae Pharmacopolae emere licet.

Acidum sulphuricum rectificatum.
Aether.
Aqua Magnesiae carbonicae.
Ferrum pulveratum.
Hydrargyrum depuratum.
Hydrargyrum bichloratum corrosivum.
Hydrargyrum oxydatum rubrum.
Kali hydricum fusum.
Kali hydricum siccum.
Morphium.
Natrum aceticum.
Spiritus Vini rectificatissimus.
Strychnium nitricum.
Veratrium.

TABULA B.

medicamenta exhibens, vulgo venena dicta, quae in locis seclusis asservanda sunt.

Acidum hydrocyanatum.
Arsenicum album.
Hydrargyrum amidato-bichloratum.
Hydrargyrum bichloratum corrosivum.
Hydrargyrum biiodatum rubrum.
Hydrargyrum iodatum flavum.
Hydrargyrum oxydatum rubrum.
Liquor Hydrargyri bichlorati corrosivi.
Liquor Hydrargyri nitrici.
Oleum Amygdalarum aethereum.
Solutio arsenicalis.
Strychnium nitricum.
Veratrium.

TABULA C.

medicamenta sistens a reliquis separanda.

Acetum Digitalis.
Acidum nitricum fumans.
Acidum sulphuricum crudum.
Acidum sulphuricum rectificatum.
Aerugo.
Ammoniacum cuprico-sulphuricum.
Aqua Amygdalarum amararum.
Aqua Goulardi.
Aqua Opii.
Aqua phagedaenica.
Aqua Plumbi.
Argentum nitricum fusum.
Auro-Natrium chloratum.
Cantharides.
Cerussa.
Colocynthis.
Colocynthis praeparata.
Cuprum aceticum.

Cuprum aluminatum.
Cuprum sulphuricum purum.
Cuprum sulphuricum venale.
Euphorbium.
Extractum Aconiti.
Extractum Belladonnae.
Extractum Colocynthidis.
Extractum Conii maculati.
Extractum Digitalis.
Extractum Gratiolae.
Extractum Hyoscyami.
Extractum Ipecacuanhae.
Extractum Lactucae virosae.
Extractum Nucum vomicarum aquosum.
Extractum Nucum vomicarum spirituosum.
Extractum Opii.
Ferrum iodatum saccharatum.
Folia Belladonnae.
Folia Digitalis.
Folia Hyoscyami.
Folia Stramonii.
Folia Toxicodendri.
Gutti.
Herba Aconiti.
Herba Conii maculati.
Herba Gratiolae.
Herba Sabinae.
Hydrargyrum chloratum mite.
Hydrargyrum oxydulatum nigrum.
Iodum.

Kalium iodatum.
Kreosotum.
Liquor Plumbi hydrico-acetici.
Liquor Stibii chlorati.
Lithargyrum.
Morphium.
Morphium aceticum.
Minium.
Nuces vomicae.
Oleum Crotonis.
Oleum Sabinae.
Oleum Sinapis.
Opium.
Phosphorus.
Pilulae odontalgicae.
Plumbum aceticum crudum.
Plumbum aceticum depuratum.
Pulvis Ipecacuanhae opiatus.
Radix Belladonnae.
Radix Hellebori albi.
Resina Jalapae.
Scammonium Halepense.
Semen Sabadillae.
Semen Stramonii.
Stibio-Kali tartaricum.
Tinctura Aconiti.
Tinctura Cantharidum.
Tinctura Colocynthidis.
Tinctura Conii.
Tinctura Digitalis.

Tinctura Iodi.
Tinctura Opii benzoica.
Tinctura Opii crocata.
Tinctura Opii simplex.
Tinctura Stramonii.
Zincum chloratum.
Zincum sulphuricum.

TABULA D.

exhibens doses medicamentorum maximas pro adulto, ultra quas Medicus pro usu interno ne praescribat nisi addito signo (!).

Acetum Digitalis	**Guttae triginta.**
Acidum hydrocyanatum	**Gutta una.**
Ammoniacum cuprico-sulphuricum	**Grana duo.**
Aqua Amygdalarum amararum	**Guttae sexaginta.**
Argentum nitricum fusum	**Granum dimidium.**
Auro-Natrium chloratum	**Granum unum.**
Cantharides pulveratae	**Granum unum.**
Colocynthis praeparata	**Grana duo.**
Colocynthis pulverata	**Grana duo.**
Cuprum sulphuricum purum	**Grana duo.**
Extractum Aconiti	**Grana tria.**
Extractum Belladonnae	**Grana duo.**
Extractum Colocynthidis	**Granum unum.**
Extractum Conii maculati	**Grana tria.**
Extractum Digitalis	**Grana tria.**
Extractum Hellebori nigri	**Grana decem.**
Extractum Hyoscyami	**Grana tria.**
Extractum Lactucae virosae	**Grana decem.**

Extractum Nicotianae..............	Grana duo.
Extractum Nucum vomicarum aquosum.....................	Grana quatuor.
Extractum Nucum vomicarum spirituosum..................	Grana duo.
Extractum Opii.....................	Grana duo.
Extractum Stramonii...............	Granum unum.
Ferrum iodatum saccharatum.......	Grana quatuor.
Folia Belladonnae pulverata.......	Grana quatuor.
Folia Digitalis pulverata............	Grana quinque.
Folia Hyoscyami pulverata.........	Grana quinque.
Folia Nicotianae pulverata..........	Grana duo.
Folia Stramonii pulverata...........	Grana quatuor.
Folia Toxicodendri pulverata.......	Grana sex.
Gutti.............................	Grana quatuor.
Herba Aconiti pulverata............	Grana quinque.
Herba Conii maculati pulverata.....	Grana quinque.
Herba Pulsatillae pulverata..........	Grana decem.
Hydrargyrum bichloratum corrosivum	Granum dimidium.
Hydrargyrum biiodatum rubrum....	Grani quadrans.
Hydrargyrum iodatum flavum.......	Grana duo.
Hydrargyrum oxydatum rubrum....	Granum dimidium.
Kreosotum.........................	Gutta una.
Liquor Hydrargyri nitrici...........	Guttae tres.
Morphium aceticum.................	Granum dimidium.
Nuces vomicae pulveratae..........	Grana duo.
Oleum Amygdalarum aethereum.....	Gutta una.
Oleum Crotonis.....................	Gutta una.
Oleum phosphoratum...............	Grana triginta.
Oleum Sinapis.....................	Guttae quadrans.

Opium	Grana duo.
Plumbum aceticum depuratum	Granum unum.
Radix Belladonnae pulverata	Grana tria.
Radix Hellebori albi pulverata	Grana quinque.
Radix Hellebori nigri pulverata	Scrupulum unum.
Radix Scillae pulverata	Grana quatuor.
Semen Stramonii pulveratum	Grana quatuor.
Solutio arsenicalis	Guttae decem.
Stibio-Kali tartaricum	Grana sex.
Strychnium nitricum	Grani quadrans.
Tinctura Cantharidum	Guttae quindecim.
Tinctura Colocynthidis	Guttae viginti.
Tinctura Conii	Guttae viginti.
Tinctura Digitalis	Guttae triginta.
Tinctura Iodi	Guttae decem.
Tinctura Lobeliae	Guttae triginta.
Tinctura Nicotianae	Guttae triginta.
Tinctura Opii crocata	Guttae triginta.
Tinctura Opii simplex	Guttae triginta.
Tinctura Stramonii	Guttae quindecim
Veratrium	Grani quadrans.
Zincum chloratum	Grani quadrans.

PONDERA SPECIFICA

medicamentorum liquidorum, quae in revisionibus officinarum exploranda sunt.

Acetum concentratum	= 1,040.
Acidum hydrochloratum	= 1,120.
Acidum nitricum	= 1,200.
Acidum phosphoricum	= 1,130.
Acidum sulphuricum rectificatum	= 1,845.
Aether	= 0,725.
Aether aceticus	= 0,885 ad 0,890.
Liquor Ammoniaci acetici	= 1,035.
Liquor Ammoniaci caustici	= 0,960.
Liquor Ammoniaci succinici	= 1,050 — 1,055.
Liquor Ferri acetici	= 1,140 — 1,145.
Liquor Ferri sesquichlorati	= 1,535 — 1,540.
Liquor Hydrargyri nitrici	= 1,100.
Liquor Kali acetici	= 1,175 — 1,180.
Liquor Kali carbonici	= 1,330 — 1,335.
Liquor Plumbi hydrico-acetici	= 1,235 — 1,240.

Mixtura sulphurica acida............	= 1,005 ad 1,010.
Spiritus aethereus......................	= 0,810 — 0,815.
Spiritus Aetheris acetici..............	= 0,845 — 0,850.
Spiritus Aetheris chlorati.............	= 0,815 — 0,820.
Spiritus Aetheris nitrosi..............	= 0,820 — 0,825.
Spiritus Ammoniaci caustici Dzondii..	= 0,808 — 0,810.
Spiritus Vini alcoholisatus...........	= 0,810 — 0,813.
Spiritus Vini rectificatissimus.........	= 0,833 — 0,835.
Spiritus Vini rectificatus..............	= 0,897 — 0,900.
Tinctura Opii crocata.................	= 1,017 — 1,020.
Tinctura Opii simplex.................	= 0,977 — 0,980

COMPARATIO NOMINUM ANTIQUORUM ET NUNC USITATORUM.

Nomina antiqua.	Nomina nunc usitata.
Acidum hydrocyanicum.	Acidum hydrocyanatum.
Acetum.	Acetum crudum.
Acetum destillatum.	Acetum purum.
Acetum plumbicum.	Liquor Plumbi hydrico-acetici.
Acidum muriaticum.	Acidum hydrochloratum.
Aether sulphuricus.	Aether.
Ammonium carbonicum.	Ammoniacum carbonicum.
Ammonium muriaticum.	Ammoniacum hydrochloratum.
Ammonium muriaticum ferruginosum.	Ammoniacum hydrochloratum ferratum.
Aqua Cinnamomi vinosa.	Aqua Cinnamomi spirituosa.
Aqua Menthae piperitae vinosa.	Aqua Menthae piperitae spirituosa.
Aqua oxymuriatica.	Liquor Chlori.
Aqua plumbica.	Aqua Plumbi.
Aqua vegeto-mineralis Goulardi.	Aqua Goulardi.
Aurum muriaticum.	Auro-Natrium chloratum.

Nomina antiqua.	Nomina nunc usitata.
Baryta muriatica.	Baryum chloratum.
Bismuthum nitricum praecipitatum.	Bismuthum hydrico-nitricum.
Calcaria usta.	Calcaria.
Chinium muriaticum.	Chinium hydrochloratum.
Chlorum Calcariae.	Calcaria hypochlorosa.
Cortex Citri.	Cortex Fructus Citri.
Cortices Pomorum Aurantii.	Cortex Fructus Aurantii.
Crystalli Tartari.	Tartarus depuratus crystallisatus.
Cuprum sulphurico-ammoniatum.	Ammoniacum cuprico-sulphuricum.
Emplastrum Lithargyri compositum.	Emplastrum Plumbi compositum.
Emplastrum Lithargyri simplex.	Emplastrum Plumbi simplex.
Extractum Valerianae frigide paratum.	Extractum Valerianae.
Ferrum muriaticum oxydulatum.	Ferrum chloratum.
Ferrum oxydatum fuscum.	Ferrum hydricum.
Ferrum sulphuricum crystallisatum.	Ferrum sulphuricum purum.
Flores Sulphuris.	Sulphur sublimatum.
Globuli Tartari ferruginosi seu martiati.	Ferro-Kali tartaricum.
Gummi Mimosae.	Gummi Arabicum.
Herba Althaeae.	Folia Althaeae.
Herba Belladonnae.	Folia Belladonnae.
Herba Cardui benedicti.	Folia Cardui benedicti.
Herba Digitalis.	Folia Digitalis.

Nomina antiqua.	Nomina nunc usitata.
Herba Melissae.	Folia Melissae.
Herba Menthae crispae.	Folia Menthae crispae.
Herba Menthae piperitae.	Folia Menthae piperitae.
Herba Millefolii.	Folia Millefolii.
Herba Rorismarini.	Folia Rosmarini.
Herba Rutae.	Folia Rutae.
Herba Salviae.	Folia Salviae.
Herba Stramonii.	Folia Stramonii.
Herba Trifolii fibrini seu aquatici.	Folia Trifolii fibrini seu aquatici.
Hydrargyrum ammoniato-muriaticum.	Hydrargyrum amidato-bichloratum.
Hydrargyrum muriaticum corrosivum.	Hydrargyrum bichloratum corrosivum.
Hydrargyrum muriaticum mite.	Hydrargyrum chloratum mite.
Hydrargyrum oxydatum rubrum praeparatum.	Hydrargyrum oxydatum rubrum.
Hydrargyrum stibiato-sulphuratum.	Hydrargyrum et Stibium sulphurata.
Kali carbonicum e cineribus clavellatis.	Kali carbonicum depuratum.
Kali carbonicum e Tartaro.	Kali carbonicum purum.
Kali causticum fusum.	Kali hydricum fusum.
Kali causticum siccum.	Kali hydricum siccum.
Kali ferruginoso-hydrocyanicum.	Ferro-Kalium cyanatum flavum.
Kali hydroiodicum.	Kalium iodatum.
Kali muriaticum oxygenatum.	Kali chloricum.
Kali sulphuratum.	Kalium sulphuratum.
Kali sulphuratum pro Balneo.	Kalium sulphuratum pro balneo.

Nomina antiqua.	Nomina nunc usitata.
Linimentum ammoniatum.	Linimentum ammoniacatum.
Linimentum saponato-ammoniatum.	Linimentum saponato-ammoniacatum.
Liquor Ammonii acetici.	Liquor Ammoniaci acetici.
Liquor Ammonii anisatus.	Liquor Ammoniaci anisatus.
Liquor Ammonii carbonici.	Liquor Ammoniaci carbonici.
Liquor Ammonii carbonici pyro-oleosi.	Liquor Ammoniaci carbonici pyro-oleosi.
Liquor Ammonii caustici.	Liquor Ammoniaci caustici.
Liquor Ammonii succinici.	Liquor Ammoniaci succinici.
Liquor Ferri muriatici oxydati.	Liquor Ferri sesquichlorati.
Liquor Ferri muriatici oxydulati.	Liquor Ferri chlorati.
Liquor Ferri oxydati hydrato-acetici.	Ferrum hydrico-aceticum in Aqua.
Liquor Ferri oxydati hydrati.	Ferrum hydricum in Aqua.
Liquor Hydrargyri muriatici corrosivi.	Liquor Hydrargyri bichlorati corrosivi.
Liquor Hydrargyri nitrici oxydulati.	Liquor Hydrargyri nitrici.
Liquor Kali caustici.	Liquor Kali hydrici.
Liquor Natri caustici.	Liquor Natri hydrici.
Liquor Stibii muriatici.	Liquor Stibii chlorati.
Magnesia carbonica.	Magnesia hydrico-carbonica.
Mel despumatum.	Mel depuratum.
Mixtura sulphurico-acida.	Mixtura sulphurica acida.
Mucilago Cydoniorum.	Mucilago Cydoniae.
Mucilago Gummi Mimosae.	Mucilago Gummi Arabici.
Natrum muriaticum.	Natrium chloratum.
Oleum Chamomillae simplex.	Oleum Chamomillae purum.
Poma Aurantii immatura.	Fructus Aurantii immaturi.

Nomina antiqua.	Nomina nunc usitata.
Poma Citri.	Fructus Citri.
Spiritus acetico-aethereus.	Spiritus Aetheris acetici.
Spiritus muriatico-aethereus.	Spiritus Aetheris chlorati.
Spiritus nitrico-aethereus.	Spiritus Aetheris nitrosi.
Spiritus Nitri fumans.	Acidum nitricum fumans.
Spiritus sulphurico-aethereus.	Spiritus aethereus.
Spiritus sulphurico-aethereus martiatus seu ferruginosus.	Spiritus Ferri chlorati aethereus.
Stibium oxydatum album.	Kali stibicum.
Sulphur stibiatum aurantiacum.	Stibium sulphuratum aurantiacum.
Sulphur stibiatum rubeum.	Stibium sulphuratum rubeum.
Tartarus depuratus.	Tartarus depuratus pulveratus.
Tartarus natronatus.	Natro-Kali tartaricum.
Tartarus stibiatus.	Stibio-Kali tartaricum.
Tinctura Guajaci ammoniata.	Tinctura Guajaci ammoniacata.
Unguentum Kali hydroiodici.	Unguentum Kalii iodati.
Unguentum plumbicum.	Unguentum Plumbi.
Unguentum Tartari stibiati.	Unguentum Stibio-Kali tartarici.

INDEX
NOMINUM ET SYNONYMORUM MEDICAMENTORUM.

A.

INDEX
NOMINUM GERMANICORUM.

Nota. Quod attinet ad tempus quo haec Pharmacopoeae Borussicae editio sexta finita est, tempus calci praefationis additum, mensis quidem Majus, in mensem Novembrem corrigatur quaesumus, propterea quod mense Majo opus quidem jam finitum et manuscriptum prelo paratum fuit, mense autem Novembri demum prelum reliquit.

Berolini, Typis Deckeri.

Lee